REGVLAE ET TRACTATVS QVIdam de sermone sacrarum literarum, ad genuinam multorum difficilium locorum explicationem perutiles.

AVTHORE MATthia Flacio Illyrico.

Cathalogum scriptorum in fine inuenies.

Hoseæ 14.

Viæ Domini sunt planæ, & iusti facile incedunt per eas, Impij autem corruunt in eis.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. D. IOANNI ALBERTO DVCI MECHELburgensi, Principi Sclauorum, Comiti Suerinensium &c. suo Domino clementissimo Matthias Flacius Illyricus Agnita, accepta cõfessaq; religionis Iesu Christi puritate, constantiam.

PIRITVS SANCTVS non uno in loco comparat Verbum Dei lumini, hominibus in tenebris uersantibus præluceti, idq; nos sedulo sequi iubet 2. Petri 1. Psalmo 119. Esaiæ 8.

Quo sermone primũ asserit Dei Spiritus, solam scripturam sacram esse unicam illam ueramq; uitæ regulam, seu doctrinã de longe maximis, ac præcipuis in rerũ natura rebus, nempe de Deo, de fine officioq; hominis, et uita æterna: Deinde eam non obscure, nec ambigue humano generi indicare quid sequendũ, fugiẽdumue sit: Sed perinde clare omnia necessaria ad pietatẽ in tantis impij mũdi huius, nostriq; Adami caliginibus nobis cognoscenda proponere, ac in tenebris lichnus accensus omnia circa se illustrat, & conspicua efficit, præstatq; illud ingens circumcirca uersantibus beneficium, ut commode & inoffense omnia sua munia obire, exequiq; possint. Deniq; iubet idem Dominus sæueriter, ut eam solam ad uitam æternam nobis per præcipitia, ambages, anfractusq; mundi huius prælucentem, præeuntemq; sedulo sequamur.

Contra damnatus ille Spiritus, Dei et humani generis hostis conatur, quibuscunq; modis potest, aut extingere penitus cœleste illud, salutareq;

earęq; uerbi diuini lumẽ, Aut, si id plane nõ potest, nos ab eo alio ad sua quędam lumina, suasq; regulas auertere, aut certe ita illud suis infernalibus tenebris contaminare & obscurare, ut parum clare fœliciterq; nobis fulgeat, Quo ea ratione & Dei gloriam impediat, & omnes homines a uia regni cœlorum aberrantes ad æternum exitium per errorum labyrinthos, scelerumq; uoragines abducat.

Nam & Tyranni olim a Satana agitati, tum ante Christum, ut Manasses & alij, tum post Christum, ut quidam Cæsares, sacras literas penitus abolere summo studio conati sunt. Et Pseudoprophetæ ab eodem Spiritu impulsi, partim arte auerterunt homines a uerbo Dei ad sua commenta & errores, ut Mahometes ad suum Alchoranum, Partim uero etiam cœleste illud lumen suis quibusdam nebulis caliginibusq; obscurarũt, perniciosumq; hominibus effecerunt, ut Arrius, Samosatenus, eisq; cõsimiles.

Cæterum Antichristus, utpote uerus primariusq; Christi hostis, & Satanæ minister, nullam ferme harum uiarum intentatam reliquit. Nam primum cum non patiatur legi sacras literas, nec priuatim, nec in templo uernaculis linguis, imo etiam plærosq;, exceptis suis spiritualibus, prorsus a lectione earum arceat, cumq; contendat, sacras literas esse obscuras, ambiguas, fontem omnium hæresium, prohibeatq; ueritatem textus ex ipsis Hebraicis, Græcisq; fontibus peti, Cum item sumit sibi ius dispensandi contra Apostolum & Euangelistam, ut eius decreta habent, an non plane abolet Biblia?

Deinde cum tam multas suas traditiones, Cæremonias, Decreta, Decretales, Extrauagantes, tam uariarum sectarum regulas, & alios similes Alchoranos condat, Ecclesiæq; Dei legendos, credendos, sequendosq; obtrudat, cumq;

ministros Ecclesiæ a prædicatione Euangelij, & Christo eis mandata, per suas impias Battologias & Missas abducat. Cum item populum per tam uarias nugas & impietates suarum Cæremoniarum, traditiuncularumq; ab auditione meditationeq; uerbi Dei abstrahat, An non Christianos a lucerna legis diuinæ ad suas quasdam furiarum stygias faces auertit?

Questus est ante annos amplius 250. Dantes Florentinus in suo quodam Italico poemate, Euangelium Christi in templis taceri, & tantum fabulas, ac meras nugas, oculis gerris uaniores, Ecclesiæ Dei proponi, gregemq; Christi uento pasci. Negat tam multas esse Florentiæ fibulas, lacerosq; panniculos, quam multæ uanissimæ fabulæ in suggestu annuatim a Monachis effutiantur.

Sed quid necesse est, nos uel Dantis testimonio, uel alijs signis probare, sub Antichristo sacras literas neglectas iacuisse, pro eisq; mille alias uanissimas, imo uero etiam impientissimas fabulas, & humanas traditiones in hominū manibus & corde uersatas, cū plurimi adhuc uiuant homines (inter quos & ego unus sum) quos tristis experientia id uel dolentes, gementesq; docuerit.

Quam autem multipliciter Antichristus doctrinam Christi corruperit, infecerit q;, atq; ita Christianos duplo magis Gehennæ reos effecerit, dum Testamentum Christi per impiam Missam, perq; alterius speciei subtractionem falsificat, dum doctrinam Pauli, de gratuita per fidem in Christum iustificatione, plane in contrarium sensum torquet, dumq; pro unico Christo mediatore pene infinitos alios nobis substituit, perq; simillima sua uenena, nimis longum esset hic commemorare.

Porro sicut Satan inde ab initio per uarios mi-

eios ministros, præcipue tamen per Antichristum, lucernam istam uerbi tum penitus extinguere, tum ab ea omnes auertere, tum denique eam & inficere ac obscurare est conatus, Sic & hodierna die idem sedulo agere non cessat. Nam & nunc, postquam ingenti Dei beneficio Verbum Dei ex tenebris, & ex sepulchro, quo id Antichristus abiecerat, eductum ueluti postliminio in templo Domini in candelabro clare luceat, non desistit Papa, eiusq; mancipia eisdem modis, quibus antea, sed aliquanto artificiosius idem infestare & obscurare. Adhuc illi calumniantur, uel blasphemant potius, sacras literas esse obscuras, ambiguas, nullum esse in eis uerbum, quod non multipliciter intelligi possit. Denique esse omnium hæresium sectarumq; primarium fontem.

Quare productis aliquot exemplis, de quibus nobis iam præcipue certamen est, Deo iuuante, ostendam non sacrarum literarum esse culpam, cur nunc in Ecclesia sint certamina, sed Papistarum, scienter libenterq; clarissimæ ueritati, perspicuoq; Dei uerbo repugnantium, erroresq; iam agnitos plane diabolica pertinacia tuentium.

Primum scientes falsant testamentum filij, dum sanguinem eius, quem ipse Ecclesiæ suæ in calice bibendum reliquit, fraudulenter interuertunt, mentiunturq;, ad solos Antichristi ministros pertinere. Nec eo mouentur, quod Christus clare dixit, Bibite ex hoc omnes. Multo uero minus illud curant, quod Paulus 1. Corint. 11. docet, Christum omnibus Christianis ex calice suo bibere præcepisse, Aut etiam quod in primitiua Ecclesia admodum diu in usu fuit, estq; etiam hodierna die in Orientalibus Ecclesijs. Hic quæro, num obscuritas ambiguitasq; scripturæ in causa sit, cur Ecclesia Dei hæreditario

calice testamenti filij Dei priuetur, aut uero Antichristiani spiritus horribilis peruersitas?

Postea falsificant idem, dum corpus & sanguinem filij Dei, Ecclesiæ ad comedendum bibendumq; testamento donatum, per suas impias Missas prophanant. Vtq; impium scelus aliquo prauo fuco excusent, dicunt, Christum id sibi mandasse, cum dixit, Hoc quotiescunq; feceritis, in memoriam mei facietis, Hoc, scilicet Missam. Nam Christum fingunt in sua cœna præter communionem, etiam Missam celebrasse. Atqui Euangelistæ tres clare, & ipse Paulus clarissime illud, Hoc quotiescunq; feceritis, alligant, & (ut ita dicam) affigunt ad illud, Accepit & dedit dicens, Accipite & comedite, Nec patiuntur ullo modo, ut ad aliquam aliam actionem annectatur. Iam obsecro, an non hic iterum luce clariorem scripturam scientes, & uolentes furenter aduersarij deprauent?

Tertio, cum toties repetitam Pauli, selecti Christi organi sententiam, Gratis fide sine operibus per Christum iustificamur, ita torqueant & contorqueant, ut eis significet, per nostra bona opera iustificamur, An non scientes Apostoli doctrinā in cōtrariū sensum ptrahunt?

Quarto, cum ex dicto Genes. 48. uocentur pueri isti nomine Abraham, Isaac &c. suam plus quam Ethnicam mortuorum hominum inuocationem & adorationem extruant, An non contra conscientiam uerba sanctissimi Patriarchæ in sensum a natura sermonis alienissimum inflectunt?

Quinto, cum textus Hebræus, Chaldæus, Græcus, Latinus, & Iosephus Genes. 14. dicant, Melchisedecum protulisse seu extulisse panem & uinum, reuertenti e uictoria exercitui Abrahami, & Papistæ pro Protulit, obtulit intelligunt, & contendunt significari ibi Melchisedecum

cum Deo panem & uſnum ſacrificaſſe, atq; ita ipſorum Miſſam peregiſſe, An non ſcientes cum uerbis Spiritus ſancti pugnant? Studium tuendi impij erroris hic, ut & alibi, & non obſcuritas textus Papiſtas impedit, quo minus ueritatem cernere uelint, aut poſsint.

Sexto locus Pauli, 1. Timoth. 3. Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris maritum, &c: ubi indicat, qualisnam uir ad Epiſcopatum deligendus ſit, diſerte facit poteſtatem coniugij Epiſcopo. At Papiſtæ, ut ſuum Angelicum cœlibatum defendãt, rixantur, Vxorem ibi in Paulo ſignificare Eccleſiam, præcipiq;, ut unus Epiſcopus unam tantum Eccleſiam habeat. Id cum impudenter, contraq; conſcientiam faciant, Vident enim ex toto contextu agi ibi de priuata Candidati uita ac familia, ideoq; addi, Quod ſi quis propriæ domui præeſſe non nouit, quomodo Eccleſiam Dei gubernabit, Quæſo, quis hic denuo accuſandus eſt? Num Spiritus Chriſti balbuties, aut Spiritus Antichriſti furioſa calumniandi libido?

Poſtremo cum Antichriſtus probe ſciat, Chriſtum Apoſtolis ſuis hanc tantum functionem officiumq; mandaſſe, Ite & prædicate pœnitentiam & remiſsionem peccatorum, ipſeq; miniſtris Eccleſiæ, tacito prorſus hoc officio, in eorum initiatione dicat, Do tibi poteſtatem ſacrificandi pro uiuis & mortuis, atq; ita per nouum ſacerdotum officium, nouam plane religionem, deleta ueteri, efficiat, Num ob id ſcripturæ obſcuritas, aut impia Antichriſti religionem Chriſtianam euertendi cupiditas, reprehendenda eſt?

His exemplis non diſsimile mihi recens accidit, cum ſcenico iſto Sydoniorum Epiſcopo. Nam in ſuo Cathechiſmo lepide nugatus fuerat, per locum Iacobi, Dominus eum alleuiabit,

significari, quod per extremam Vnctionem spectra abigantur, quæ solent moribundum infestare. His nugis in mea confutatione oppositam, Græci uerbi Ἐγείρω non esse eam uim, ut Alleuiare significet, sed significare Alleuare. Et quidem sic etiam multa uetusta uulgatæ uersionis, Item & Agendarum exemplaria legere. Quin & Agendam Moguntiæ anno 13. impressam eodem modo habere. His contra ille personatus Episcopus respondit se non curare, quid ego græculus garriam, potiorem sibi esse authoritatem Ecclesiæ, quæ legat Alleuiabit, quam meam. Atqui sic in Ecclesia quoq; olim lectum esse, præter superiora etiam illud probat, quod & Missales in Epistola Missæ pro infirmis, eum Iacobi textum hodierna adhuc die legunt, Alleuabit.

Hoc modo si sibi Papistæ rapient licentiam contemnendi Græcos Hebræosq; diuinorum oraculorum fontes, omniaq;, quæ quoquo modo in Ecclesiam Christi irrepserunt, aut etiam ipsis in buccam ueniunt, tribuendi Ecclesiæ Dei, & Spiritui sancto, sane scriptura sacra non tantum non erit nobis prælucens lucerna, sed etiam uix cassa nuce æstimanda.

VErum sicut Satã multipliciter lumẽ istud diuinitus in domo Dñi accensum extinguere conatur, Sic uicissim Christus idem clementer conseruat & illustrat. Ad hoc salutare humano generi opus dat per Spiritum suum sanctum uaria dona hominibus, cognitionem linguarum, experientiam, interpretationem, & similia. Quare filius Dei postquam cœpit Antichristum suum aduersarium oppugnare, etiam lumen sui uerbi, eius Tyrannide liberatum de Subscamno (ut uulgo dicitur) extractum super aureum candelabrum in suo templo collocauit, atq; ita iam illustrauit, ut omnes pij in do-

mo

mo Domini uersantes, eius radijs illuminati facile uidcant, quid Deo placeat, aut displiceat.

Quodsi autem adhuc obscurum aliquid supereſſe in Euangelio noſtro uidetur, uere cum Paulo dicere poſſumus, in ijs, qui pereunt, uelatum eſſe. In quibus Deus huius ſæculi excœcauit ſenſus incredulorum, ne illuceſceret illis lumen Euangelij gloriæ Chriſti.

Vere enim profecto ita ſe res habet, ut Propheta inquit, Planæ ſunt uiæ Domini, & iuſti per eas facile incedere poſſunt, Cæterum impij corruunt in eis. Non eſt ea obſcuritas, aut ambiguitas ſacrarum literarum, præſertim in hac uerſionum explicationumq; cœlitus donata fœlicitate, ut pij, timentes Deum, ueritatisq; cupidi homines, nõ poſsint ex eis uoluntatem Domini cognoſcere, nec quiſquam de ea re pius quæritur. Planæ ſunt eis uiæ Domini. Quod autem impij ruunt in eis, & partim inde ſuos errores ſtabiliunt, partim etiam eas uarie blaſphemant, partim denicq; ſcientes & uolentes a manifeſta Euangelij Ieſu Chriſti ueritate deficiunt, non id ſacrarum literarum uitio, ut ſuperius pluribus exemplis demonſtraui, ſed hominum malitia accidit, quæ peccandi ardore furiata nullis frenis cohiberi poteſt. Cum, ueritate contempta, falſitati erroriq; adhærere ſemel conſtituit, etiam in clara luce cæcutit, & uel niuem nigram eſſe cum Academicis contendere audet.

Nulla ſcripta ſunt meo quidem iudicio diligentius, ſignatius, magisq; proprie ſcripta iure ciuili & Ariſtotele. Et tamen ita uarie tortus eſt ante hæc tempora Ariſtoteles, ut ipſimet Sophiſtæ ſolitri ſint dicere, Ariſtotelem naſum cæreum habere, poſſe cum inflecti, quo quis tantum uelit modo. Porro ius Ciuile quam in uarias ſententias uiolenter torqueatur, facile uel ex eo apparet, quod ſingula propemodum uerba

in eo circumscribi declaratiq; oportuit, ne Sycophantarum astutia in alium sensum ea contorquere possit.

Vnde quæso id accidit? Vnde quod Academici & Epicurei etiam prima principia, Geometricasq; demonstrationes labefactare conati sunt? Non certe ex ipsarum rerum, aut scriptorum obscuritate, sed ex ingenti hominum malicia, & plane diabolica audacia, & petulantia, qui sæpe in meridiana luce scientes, uolentesq; cœcutiunt, fidemq; & alijs persuadere conantur.

Si liceret sic petulanter ludere scripturis, ut Papistæ fecerunt, ut exempli causa, quod Franciscani in libro suarum Deformitatum Genesin interpretantur, Deus creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam. i. Franciscum, Et fecit ei adiutoriū. i. sacculū paupertatis. Item q; omnes Prophetias de Christo ad Franciscū applicant, Tum sane non tantū multi sensus eiusdem loci esse possent, sed plane infiniti.

Sed missum faciamus Antichristum, eiusq; Apostolos, ne post longiorem disputationem tandem lapides contra nos, ut Cainicæ Ecclesiæ moris est, tollant, Præsertim cum hoc tempore lapides eorum non usq; quaq; contemnendi sint, quandoquidem iam & nostri falsi fratres, Proh pudor, & Proh dolor, ipsorū se in nobis excarnificandis impiæ crudelitatis ministros tam alacriter exhibeant, ac ad id opus tam prōpte sua bona, sanguinē et animā ipsam profundāt. Missis ergo Papistis dicam? aliqd breuiter de sacrarū literarū sermone atq; sententia.

Monachi olim non contenti uno uero ac genuino sacrarum literarum sensu, quatuor nobis commenti sunt, nempe Literalem, Tropologicum, Allegoricum & Anagogicum. Atq; ita uere effecerunt, ut næ intelligendo nihil plane intelligerent, dumq; nimis multos sensus sacra-

rum

tum literarum ocioſe comminiſcuntur, ne unius cum quidem illum uerū genuinumq; retinerent.

Vnus enim quidam proprius ueruſq; ſacrarum literarum ſenſus eſt, quem nobis cœleſtis ille pater, qui multifariam, multiſq; modis, & tandem etiam per proprium filium nobiſcū loquutus eſt, notis quibuſdam, nempe uerbis & literis, quibus cogitationum noſtrarum ὁμοιώμασιμ, ut eas Ariſtoteles appellat, & nos homines inter nos utimur, exprimere uoluit. Quanquam non negamus ſimul quoq; aliquando res alias, cuiuſmodi ſunt inprimis Leuiticæ cæremoniæ, aliarum ueluti typos quoſdam, picturasq; eſſe in ſacris literis.

Ad perſeruādam ergo, cognoſcendamq; Dei uoluntatem iſtis notulis expreſſam, haud dubie ante omnia Chriſti cognitio nobis perneceſſaria eſt. Illa enim ſola uelamen illud Moyſi de noſtri ueteris Adami corde aufert, quo nō remoto, ueluti cœci in ſcripturis, tanquam in quodam Labyrintho, Iudæorum more oberramus, ſemper quidem palpantes & diſcentes, nunquam tamen uel introitum, uel exitum, ſcopumue earum inuenientes, & ad ueram pietatis cognitionem peruenientes.

Deinde neceſſaria eſt & lux quędam, quę eiuſdem Chriſti beneficio per Spiritum ſanctum in omnem ueritatem pios ducentem Chriſtianis, idq; alijs magis, alijs minus contingit. De eo cœleſti lumine ſcriptum eſt ultimo Lucæ, Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent ſcripturas. Item Ioelis 3. Poſtremis temporibus effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij ueſtri, & filiæ ueſtræ &c.

Tale beneficium uere Deus hoc tempore humano generi præſtitit, ſi modo nos id præ noſtra hor-

stra horribili ingratitudine agnoscere possumus. Vere enim lux hæc præsens cum proximis Antichristi tenebris, perinde ac obscurissima nox cum clara die conferri summo iure potest & debet. Nunc plane dici potest, terram scientia Domini, ut dudum Prophetæ futurum prædixerant, perinde oppletam esse, ut mare terram contegit.

Sed o Adamantina, uel potius Diabolica hominum corda, quorum alij hæc ineffabilia Dei beneficia sanguine Christi parta, impie blasphemant, & atrociter persequuntur, alij leuibus periculis moti contemnunt & abijciunt ea, promptęq; ad ferream Romani Pharaonis fornacē, eiusq; palpabiles tenebras reuertuntur.

Verum missas iam faciamus pias quidem ac iustas querelas de furiosa mundi ingratitudine erga Dei ingentia illustratæ Euangelij lucis beneficia, quæ, in hoc furore Christianorum ieienter Christum Dominum persequentium, animiq; augustia persequutionem patientium, parum audiuntur, dicamusq; aliquid (nobis ipsis magis, quam alijs) & de tertio ad intelligendam scripturam necessario instrumento. Hactenus enim de duobus dictum est.

Tertium ergo uehementer necessarium instrumentum ad sacrarum literarum examinationem est notularum illarum, quibus (ut superius diximus) Deus sua mysteria consignauit, id est, sermonis sacrarum literarum cognitio. Quæ tamen sine aliarum quoq; multarum rerum cognitione nequaquam contingere potest. Recte enim inquit Aristoteles, quod ignorantes pim uocum παραλογίζονται. Nec sane mirum, qui enim in ipsis notis ac signis, per quæ alias quasdā res cognoscere debet, errat, non est mirū, si in significatis rebus etiā magis a uero aberret.

Ad sermonem refero non tantum singularum

iarum uocum cognitionem, sed & phrasium, quin & filii contextusq; styli ac cohærentiæ sententiarum, Atq; adeo scopi, seu, ut ita dicam, capitis membrorumq; totius scripti diligentem consyderationem. Quæ ipsa in omnibus sanis scriptoribus ad cognoscendam eorum sententiam apprime necessaria sunt.

Ideoq; Deus & in prima illa uerbi sui per orbem terrarum propagatione, & nunc in eiusdem illustratione suos ministros linguarum cognitione donauit. Eoq; factum est, ut multis nunc linguis Biblia longe dilucidiora ipsa tãtum uersionum bonitate legantur, quam antea opera prolixorum commentariorum illustrari declarariq; poterant, cum ne unicum quidem Psalmum uere intelligere poteramus.

SEd cum ea sit scripturæ ratio, ut semel ne quaquam, uel a lectoribus, uel ã uersoribus, uel etiam ab interpretibus exhauriri queat, semperq; sit, cur in ea die ac nocte magna cum utilitate meditemur, oportet nos secundũ Christi præceptum diligenter scrutari scripturas.

Ea ratione & ego motus inter legendum, dolendumq; sacras literas semper maxime intentus fui in ipsius textus genuinum sensum, inde, quæ ueræ pietatis essent, elicere cupiens. Prolixa uero commentaria subinde in locos communes excurrentia nunquam legi libenter, multo etiam minus alijs dictare uolui. Vidi enim futurum, ut eo modo denuo a Bibliis ad hominum scripta abducamur, quanquam non nego magnis id aliquibus uiris in hac ueræ pietatis instauratione merito concedendum fuisse.

Ita igitur cum affectus essem, ut textum ipsum Bibliorum potissimum diurna nocturnaq; manu uersandum terendumq; putarem, commentatores uero, exceptis admodum paucis, tantum obiter aliquando inspiciendos, ob-

seruaui quantum potui phrasim ac naturam sermonis sacrarum literarum, ac subinde aliqua annotaui, tum de singulis uocibus, tum de aliquot connexis, tum & de filo cohærentiaq; sententiarum, eaq;, ut potui, in regulas redegi, cupiens ea ratione mihi & auditoribus reddere sermonem Bibliorum dilucidiorem.

Cæterum quia mihi meæ exilis mineæ a Christo concreditæ probe conscius fui, sciuiq; laborem hunc non parum habere periculi, Nam unica aliquando regula, ut multa obscura loca fœliciter explicari queunt, ita rursus quoque, si male res cedat, non paucorum errorum semina faci: Volui & alijs quibusdam prijs & doctis regulas hasce iudicandas, corrigendasq; exhibere. Qui quoniam laudarunt, ac insuper & æditionem suaserunt, facile passus sum ipsas & in publicum prodire, iudicio tamen & aliorum pie iudicantium semper cas subijciens. Nec sane cupio, ut regulæ istæ, & ea, quæ eis coniuncta sunt, aliquid plus ualeant, quam quantum ipsa adiuncta exempla, quæ plærumq; plura sunt, postulant.

Sunt uero præter regulas etiam alia quædam opuscula, ut de nomine Iehouah, de Ieiunio, de uocalibus Hebraicis, Item Scholia in aliquot obscura loca, quæ ipsa quoq; utiliter legi posse spero. Sunt quoq; quædam in hoc scripto, quæ cum ijs Hebraismis, quos in libello de fide explicui, utiliter conferri possunt, & contra ibi non pauca, quibus hinc lucis aliquid accedere potest, quod lector facile animaduertet.

Scio quidem fore aliquos, qui obijciant nobis illud Aristotelicum ὅτι οἱ ἀγροῖκοι μαλλον γνωμολύποι εἰσὶ καὶ ῥᾳδίως ἀποφένονται. Ac fateor sane hic multa parum perpolita esse. Ordine uero pene prorsus farraginem hanc destitui. Atq; utinam alij, qui cum & omni alio

dono-

donorum genere me longe excellant, tum etiam linguarum cognitione, in hunc laborem aliquanto ardentius incumberet. Sed nimis iustam fuisse querelam piæ memoriæ D. Martini animaduerto, qui solitus est dicere, Multi hic Epistolas & carmina Græca, ut suam eruditionem ostentent, scriptitant, sed nemo uel unicam obscuram noui Testamenti phrasim illustrare conatur.

Sed homines magnanimi glorioſius putant esse ἀτροβατεῖν, cœlum, terram & maria metiri, futura præscire, & momenta temporum scrutari, quam in hac tam tenui materia uersari, ac hæc uilissima Christi παραγγελματα mundoq; sententia cõtrectare. Vnus homo ante triennium defunctus est, qui, si id operæ ac temporis in illustrando sacrarum literarum sermone posuisset, quod in ociosis quibusdam speculationibus absumpsit, immensam profecto utilitatem Ecclesiæ Christi præstitisset. Sed nolo prolixius de hac re dicere, ne uel præclaras discipulinas extenuare, uel eius criminis authores accusare potius uidear, quam pie queri, quod dona, quæ Christus suæ Ecclesiæ ad ædificationem largitus est, alio conuertantur.

Tibi uero Illustrissime Princeps potissimũ scriptum hoc dedicare uolui, quod te pietatis literarumq; non amantem solum, sed & apprime gnarum esse minime uana fama comperio. Karum id in Principe decus est, & non tãtum magnopere laudabile, sed etiam Ecclesijs, politijsq; supra modum salutare.

Vtinam uero & alijs principibus istas uirtutes colere libeat, qui, impia cupiditate nominis aut potentiæ augendæ, aut etiam gratificandi Babiloniæ Thaydi, Feræq; eam gestanti, furenter (utpote diabolico spiritu agitati) Ecclesias Christi, quæ continuis 30 annis ad genua

Mona-

Monarcharum ſuppliciter pacem petentes pro-
ſtratæ iacuerunt, quibuſuis Turcis crudelius in-
uadunt, cædibus, rapinis, latrociniis, ſtupris &
incendijs omnia cõtaminant & fœde deuaſtant.

Ac interea, ne non uideatur & iſtis lupis
agnus aquam perturbaſſe, nos miſeros Chriſti
diſcipulos (qui quid aliud tandem facimus, niſi
ut omnes ad conſtantiam in agnita receptaq; Ie-
ſu Chriſti religione hortemur, deficientes uero
reprehendamus) tanquam turbulentos, ſeditio-
ſos, peſtes & faces, omniumq; iſtorum malorum
præcipuos authores horribiliter accuſant, qui
ſcilicet ſi duriſſimis ſupplicijs excarnificati tru-
cidaremur, tum uero protinus uel aurea ſæcula
conſequerentur. Verum æternus ille mundi iu-
dex inter nos miſeras Chriſti luſcinias & illos
Diaboli accipitres, uel coruos potius, ſi non an-
tea, at certe in extrema die præcipitato in æter-
num exitium Satana eiuſq; mancipijs uere, iu-
ſteq; dijudicabit.

Te interea pientiſſime Princeps, ac Pa-
triæ pater oro, ac per Chriſtum obteſtor, non
tãtum, ut hunc noſtrum libellum clementer ex-
cipias, ſed etiam, ne mouearis eorum fœlicitate,
qui in gratiam impiorum, uel perſequuntur Ec-
cleſiam Dei crudeliter, uel etiam ueræ pietatis
corruptelas aſtute promouent, Quin potius, ut
præclare cœpiſti, pietatem, literas, iuſticiam,
aliaq; quæ ad Chriſtianã uitam regimenq; ſunt
neceſſaria, foueas benigne, ſtudioſeq; prouehas.

Dominus Ieſus te, alioſq; pios guberna-
tores afflictæq; Eccleſiæ nutritios, quos uere iã,
proh dolor, in uniço annulo ſculpere poſſemus,
clementer conſeruet. A M E N.

QVIDAM HEBRAISMI DE CONSTRVCTIONE NOMINIS.

IN PARTE TANtum simplicis orationis, ut uel in subiecto, uel in prædicato (ubi una tantum quædam res significari uidetur) sæpè tamen aliud est tanq̃ subiacens, subsistens ac ueluti substantia quædam, quod nos iam docendi gratia nomine substantiæ notabimus. Aliud uerò est ueluti quiddam accedens huic subiecto, quod nos Accidens appellabimus, ut Vir bonus & prudens, Ensis Euandrius, Saulus Tharsensis est Doctor Christianus. In his Exemplis Vir & Saulus, sunt nobis substantia, bonus uero, prudens & Tharsensis sunt accidens.

SVBSTANTIAM Latini & Græci per nomen substantiuum, cui etiam appellatio hæc indè contigisse uidetur: Accidens uerò plærunq; per adiectiuum exprimunt, ut uoluptas blanda domina.

Aliquando etiam utrunq; per substantiuum denotant, ponendo alterum in genitiuo, ut Vir magnæ eruditionis, Homo spectatæ fidei, Ensis Euandri, pro Vir eruditus, Homo fidus, Ensis Euandrius.

Hebrei autem substantiam quidem per sub-

ſtantiua efferunt, Accidens uerò ei inhærens, quanq; & per adiectiua denotent, ut luminaria magna, luminare magnum & paruum: tamen adeò ſæpè per ſubſtantiuum efferunt, ut optimo iure phraſis hæc, huius linguæ Idiotiſmus dici queat, ut Lucæ 16. Oeconomus iniuſtitiæ, id eſt, iniuſtus. Galat. 6. Spiritus lenitatis, id eſt lenis. Proverb: 11. Vir benignitatis, id eſt benignus.

Cum autem Subſtantia & Accidens, quod ei inhæret unum quiddam efficiant: Solent etiam nomina illa ſubſtantiua inter ſe unire ac connectere, aliàs quidem aliter, plærunq; tamen ità, ut alterum in Genitiuo ponant, alterum uerò in eo caſu, quem aliqua adiuncta uox (ut Verbum uel Præpoſitio) poſtulat. Mammona iniquitatis, Lucæ 16. Rex benignitatis, 1. Reg. 20.

Ponunt autem in Genitiuo plærunq;, ſicut & Latini nomen quod Accidens ſignificat, ut Dies lætitiæ, Scutum Achillis. 1 Samuel. 7. Agnus lactis, ideſt lactens. Marci 13. Abominatio deſolationis, ideſt Abominatio deſolans. Coloſ. 3. Vinculum integritatis, ideſt integritatem conſeruans.

Aliquando autem contrà ponunt in Genitiuo nomen ſignificans Subſtantiam, Accidens uerò in alio quopiam caſu, quem forma orationis poſtulat, ut Geneſ. 22. Electio ſepulchrorum, ideſt Electa ſepulchra. Iud. 20. Ecce aſcendebat uniuerſitas Ciuitatis in cœlum, id eſt, Ciuitas uniuerſa exurebatur. Ephe: 1. Diuitiæ gratiæ, pro diues gratia, & diuitiæ gloriæ, pro diues

gloria.

gloria. Item Ephe. 2. Interſtitium maceriæ, id eſt Interſtantem maceriam. Rom. 9. Iſrahel ſectans legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit, id eſt, iuſtitiam legis ſeu legalem. Deutero. 12. Electio uotorum pro Electis uotis. Eſa. 3. Auferet fulcrum panis & fulcrum aquæ. Rom. 1 Pateſit ira DEI de cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, i. impios & iniuſtos homines. Item, 1. Corin. 1. Placuit DEO per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes, id eſt, per ſtultam prædicationem.

Nec tantum in ſingulari Genitiuo ponunt nomen ſignificans Accidens, ſed etiam in Plurali, Teſtis ueritatum. Prouerb. 14. Calix ſalutum. Pſal. 116. pro Calix ſalutis, uel ſalutaris, Et 1. Samuel. 1. Si dederis mihi ſemen uirorum, id eſt ſemen uirile. 2. Samuel. 22. A uiro iniuriarum liberabis me. Pſal. 117. Panem dolorum, id eſt, panem doloroſum, ſeu dolore & labore quæſitum. Item, Vxor & filius iuuentutum uel ſenectutum, pro qui in iuuentute uel ſenectute contigerunt. Sic igitur locus, Pſal. 127. uertendus eſset: Filij in iuuentute nati, & non iuuenes. Eſa. 1. Semen malignorum, id eſt, malignum.

Aliquando quoq; nomen ſignificans Accidens iungunt ſubiecto ſeu ſubſtantiæ per præpoſitionē Beth, ut Pſal. 51. Ecce enim dilexiſti ueritatem in occultis, & in abſcondito ſapientiam docuiſti me, id eſt, ueritatem occultam & ſapientiam abſconditam. Item eodem

Psal. Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccatis concepit me mater mea, id est, Ecce iniquus formatus sum, & peccatorem concepit me mater mea. Iohan. 9. Tu in peccatis totus natus es, id est, tu natus es sceleratus & peccator, ideoq; te DEVS cœcitate notauit. Psal. 33. Quoniam rectum uerbum eius & omne opus eius in ueritate uel fide, ideſt uerum, fidele. Matth. 22. Viam DEI in ueritate doces, ideſt ueram uiam DEI, uel uerè. Esa. 21. Dabo opus eorum in ueritate, id est, uerum. Rom. 1. Definiti filij DEI in potentia per Spiritum sanctificationis. i. Filij DEI potentis. Loquimur sapientiam inter perfectos, id est perfectam. 1. Corinth. 2. Item ibidem: Sapientiam in mysterio, id est, sapientiam mysticam.

Sæpè per Præpositionem Ex annectunt Accidens suo subiecto, ut Psal. 72. Florebunt ex urbe, sicuti gramen, id est, ciues. Item apud Paulum: Qui ex fide, lege, præputio, circuncisione, qui ex contentione, ideſt fideles, operarij, præputiati, circumcisi. Quanq̃ aliqui ad Græcismum hæc pertinere arbitrantur, ut οἱ ἐκ τῆς δόξης. Germani quoq; eadem phrasi utuntur.

Sæpè nomen substantiuum ponitur & pro Accidente simul, & pro eius subiecto, ut præputium, pro gente præputiata, circumcisio, pro gente circumcisa. Genes. 12. Eris benedictio, ideſt homo benedictus. Sic Ios: 6. & sæpè aliàs Anathema ponitur, pro re Anathemati addicta, Et 1. Samuel. 10. Et iuerunt cum eo

uirtu,

uirtus, ideſt uiri uirtute præſtantes. Eſa. 5. Gloria eius, pro glorioſi magnates eius. Ierem. 2. Populus meus commutauit gloriam ſuam, ideſt glorioſum cultum ſuum. Geneſ. 31. Et ex bonis noſtri patris fecit hanc totam gloriam, ideſt has glorioſas opes, glorioſam potentiam. Pſal. 17. Exaudi Domine iuſtitiam meam, id eſt iuſtam cauſam. Sic abominatio pro cultibus, Idolis, & in uniuerſum rebus abominabilibus paßim in Sacris literis frequenter legitur. Item, mendacium pro mendaci & falſo cultu, ut etiam Rom. 1. Veritatem commutauerunt in mendacium. Pſal. 39. Auribus percipe lachrymas meas, lachrymabilem uel lugubrem ſupplicationem. Item miſericordiæ Domini pro miſericorditer factis.

Alij hunc Hebraiſmum ſic notant: ut dicant poni abſtractum pro concreto & eius ſubiecto, Verum hæc Regula, ut cætera inepta non eſt, ita aliquanto anguſtior uidetur eße, quàm res ſit, ut poſtea patebit.

Nonnunquam etiam tanquam res omninò diuerſas in eodem caſu ponunt, iungendo per Coniunctionem Et, uel etiam ſinè Coniunctione, ut ueritas & iudicium. Ierem: 41. uerum iudicium. Item Pſal. 116. Quoniam exaudiet Dominus uocem meam, ſupplicationem meam, ideſt ſupplicem uocem meam. Prouer. 3. Miſericordia & ueritas non deſerent te, ideſt uera & conſtans miſericordia, benignitas ſeu beneficentia, Et Ierem. 22. Iudicium & iuſtitiam facite & eripite ra-

pinam de manu iniurij, id est, facite iustum iudicium, iuste iudicate. Tale forsan & illud est, in ieiunio & oratione, id est, sobria oratione.

Atq; his modis Hebræi non tantum ea nomina construunt, quæ quasi possessoris Personam exprimunt, sicut Latini faciunt, qui in Genitiuo possessorem ponunt, Sed etiam ea, ad quæ quis aptus, inclinatus addictusue significatur, ut Exodi 4. Vir uerborum, id est, aptus ad uerba seu sermones, eloquens. Et Genes. 9. Noah cæpit esse uir terræ, ideſt addictus fuit agriculturæ. Exod. 15. Dominus est uir belli. Item, Nume. 32. Terra pecorum & locus pecorum, ideſt locus uel terra apta alendis pecoribus. Iud. 12. Vir contentionis fui ego & populus meus cum Amon ualdè, id est magnam contentionem habui. Non habitum sed actionem significat.

Ac in uniuersum omnia ea accidentia Hebræi hoc modo per substantiua exprimunt, quæ quoquo modo ad aliquod subiectum pertinent, ut Deuterono. 32. Iacob est funiculus seu possessio hæreditatis eius, id est, possessio hæreditaria. Eodem cap. inuenit eum in terra deserti, id est, in terra deserta. Esa. 26. Terra rectitudinum, id est, terra recta. Psal. 119. Beati recti uiæ, ideſt per rectam uiam ambulantes. Esa 53. Disciplina pacis, ideſt dans, mærens pacem, seu acquirens pacem. Eph. 2. Princeps potestatis aëris, spiritus, ideſt Princeps (ut ita dicam) potestans seu compos Regionis aëreæ.

Quod si præter illud accidens Pronomen quoq;

possessio

poßeßiuum ſubiecto, ſeu ſubſtantiæ addendum ſit, affigunt illud plærunq; nomini ſignificanti aceidens, ut Eſa. 2. In illa die proijciet homo idola argenti ſui & idola auri ſui, ideſt idola ſua argentea, & idola ſua aurea. Iud. 8. Det mihi unusquiſq; ueſtrum inaurem prædæ ſuæ, pro inaurem ſuam prædatam, ſeu præda acquiſitam. Pſal. 41. & Ierem. 20. Vir pacis meæ, id eſt, Vir mihi pacatus & amicus: Vir litis meæ, id eſt, Vir mecum litigans.

Atq; hæc, quæ diximus de Subſtantia & Accidente, ſi tantum uel in ſubiecto, uel in prædicato ambo inueniantur, dici etiam poßunt, cum Subſtantia eſt in ſubiecto propoſitionis, Accidens uerò in prædicato. Nam eadem ratione per ſubſtantiua nomina illa accidentia exprimuntur, niſi quod conſtructio ſeu cohærentia illarum uocum eſt diuerſa. Pſal. 115. Idola eorum ſunt argentum & aurum, pro argentea & aurea. Et Pſal. 119. Omnes uiæ tuæ ueritas, id eſt, ueræ. 1. Corin. 1. Chriſtus factus eſt nobis iuſtitia, ſapientia, ſanctificatio, id eſt, noſter iuſtificator, doctor & ſanctificator.

Huc quaq; referri poteſt & illa conſtructio, cum ſubſtantiuum eſt in ſubiecto: Accidens uerò in prædicato ponitur cum litera Lamed, ſignificante in, ut Eſa. 4. Die illa germen Domini erit in magnificentiam & gloriam, id eſt, magnificum & glorioſum. Item, Geneſ. 17. Eris in Patrem gentium, id eſt, Pater gentium.

DE RELATIVIS.

Sæpè Relatiuum per Ecclipſin omnino deeſt, ut Deut. 32. Petræ, genuit te, oblitus es, pro quæ genuit te. Et Eſa. 26. Intrabit gens iuſta ſeruans fidem, cogitatio certa, quod ſeruabis pacem. i. quæ eſt cogitatio firma &c. Sæpè quoq; antecedens repetitur omiſſo penitus Relatiuo, ut Roma. 2. Qui in lege peccauerunt, per legem condemnabuntur, pro per eam condemnabuntur. 1. Iohan. 4. Ipſi de mundo ſunt, ideo loquuntur de mundo, & mundus eos audit. Iud. 3. Et uenit Vir eius & dixit uiro ſuo.

Item aliquando repetunt antecedens diuerſa uoce expreſſum, ut Pſal. 7. Puteum effodit & excauauit, & incidet in foueam, quam fecit. Referunt nonnunquam etiam Relatiua aliquod antecedens, quod licet non præceſſerit, facilè tamen quale ſit, intelligi poteſt, ut Ierem. 10. Quoniam lignum de ſylua excidit illud, auro exornauit illud, clauis confirmauit, non commouebitur. Subintelligitur antecedens idolum, quod tamen non præceſſit.

Sæpè quoq; referunt Hebræi per Relatiuum antecedentia nomina longius, quàm ut commodè referri poſſint, diſtantia, cum ſint alia propiora, quæ uideri poſſint per ea Relatiua referri. Proindè cura in ea re adhibenda eſt, nè ea referri putemus propter propinquitatem, quæ non ſunt uerè antecedentia. Exo. 34. Et fuit cum deſcenderet Moſes de monte Sina, & duæ tabulæ

bulæ lapideæ in manu Moſis cum deſcenderet de monte, & Moſes neſciebat, quod cutis faciei ipſius fulgorem inſtar cornu emitteret, propter loqui eum cum ipſo, .i. Deo. Eodem capite in fine, & repoſuit Moſes uelamen ſuper faciem ſuam, donec rediret, ut loqueretur cũ ipſo, ſcilicet DEO. *Et Deuter. Non facietis ſic* DOMINO DEO *ueſtro. Sic refert quædam longius diſtantia. Iud. 6. Et fuit nomen ei, ſcilicet Gedeoni, quod nomen longius abeſt ab hoc Relatiuo ei. Epheſ. 3. Et participes promiſſionis eius in* CHRISTO. *Eius refert* DEVM, *quod nomen procul ab hoc Relatiuo legitur.*

Aliquando & conſequens ſeu eam uocem, quæ primum ſequitur & nondum præceſſit pronomen Relatiuum refert, ut Pſal. 87. Fundamenta eius in montibus ſanctis, Dominus diligit portas Sion.

Sæpè in eodem colo, in quo eſt antecedens, ociosè Relatiua adhibentur, idq; uel præpoſita, ut Ioſ. 1. Ad terram, quam ego do eis, filijs Iſrahel, & Exod. 2. Et uidit eum infantem. Item 1. Samuel. 21. Et mutauit eum uultum ſuum. Vel poſtpoſita, ut Leuit. 14. Auem uiuam accipiet eam. 2. Samuel. 6. Micholi autem filiæ Saul non fuit Proles ei, uſq; ad mortem eius. Gene. 3. De arbore, quæ eſt in medio horti, dixit DEVS, *ne commedatis de ea. Rom. in fine. Potenti uos confirmare, ſoli ſapienti* DEO *per* CHRISTVM IHESVM, *cui gloria in ſecula, Amen.*

Sæpè in eodem colo ponunt & prouocabulum QVI, QVAE, QVOD, & aliquod, aliud pronomen Relatiuum, ut Ioſ.1. Quam DOMINVS DEVS ueſter dat uobis ad poſsidendum eam. Et Eſa. 58. Cuius non deficient aquæ eius.

Pronomina & Relatiua & Poſſeßiua, præſertim cum ſunt affixa, in eodem colo ſæpius repetuntur. Pſal. 115. Adiutor eorum & protector eorum eſt. Ierem. 6. Omnes ipſi perditi ipſi. 1. Samuel. 9. idem Relatiuum bis repetitur, non affixum. Aſcendite, quoniam ipſum hodiè inuenietis ipſum.

Repetuntur & Primitiua, altero exiſtente ſoluto, altero affixo. Pſalm. 51. Tibi ſolum, tibi peccator ſum. Per enallagen aliquandò alia Relatiua pro alijs ponuntur, ut pro Relatiuo qui ponitur is, Iud. 1. Septuaginta Reges, pollices manuum eorum abſciſi, fuerunt colligentes ſub menſa mea, id eſt, 70. Reges, quorum pollices manuum & pedum erant abſciſi, colligebant ſub menſa mea. Pſal. 72. Liberabit pauperem uociferantem & inopem, & non adiutor ei, id eſt, & cui non eſt adiutor.

Item zu hic pro Aſcher qui Pſal. 32. Docebo te in uia, zu qua ire debeas.

Ponitur etiam aliquando Aſcher ſimul pro duobus Relatiuis, ut Geneſ. 44. Et dixit Laaſcher. i. ei, qui. Item, & iußit eth Aſcher ſuper domum, id eſt eum, qui erat ſuper domum.

Ponunt nonnunquam Et *coniunctionem pro Relatiuo* QVI, QVAE, QVOD, *Psalm.* 118. DEVS *est* DOMINVS, *& illuxit nobis ideſt cui ſuo præſenti auxilio affulſit nobis* 1. *Samuel.* 20. N *n faciet Pater meus rem paruam uel magnam, & non indicabit mihi, pro quam non indicabit. Eſa.* 39. *Ecce dies ueniunt & auferetur, pro, en futura ſunt tempora, quibus auferetur quicquid eſt in domo tua.*

Zeh Pronomen ſubſtantiam indicans, aliquoties & qualitatem denotat, Deuter. 5. *uerſ.* 29. *Cor eorum Zeh, id eſt, tale eis.*

Nonnunquam non eſt demonſtratiuum ſed indefinitum, aut etiam ſolummodo expletiua particula, indicat tamen ſimul ueluti indignationem quandam. Ierem. 20. *Quid Zeh hoc? uel quare hoc, de uentre exiui, ut uiderem dolorem & laborem? Geneſ.* 35. *Si ſic, quid Zeh, ideſt, hoc ego. Hic ponitur pro indefinito Cuiuſdã* 1. *Samu.* 17 *Dauid autem erat filius ephratite Hazeh, cuiuſdam de Bethlehem. Eodem paulo poſt, Et abſtulit hoc .i. aliquid.*

REGV.

REGVLA DE VERBIS, QVAE PER SVVM INFINITIVVM ET SOLEO, POSSVM, uolo ac permitto exponenda sunt.

CVM IN OMNI ACTIONE SINT causæ & effectus, principium et finis, accidit sæpè, ut uerba actiones significantia retrò ad causas retrahantur, ponanturq; prò causis, principijs & inchoatione actionis. Quare cum actionum causæ sint uoluntas, facultas, ius, permissio, sæpè fit ut uerba Hebræa, præsertim futuri temporis, sint exponenda per, uolo, possum, permitto, Soleo, debeo, ac proprium infinitiuum, ut propemodum cum potentiali modo conuenire uideantur.

EXEMPLA, VBI PER SOLEO & infinitiuum fit interpretatio.

Genes. 29. Non fiet sic in locis nostris, ut iunior prius elocetur quam senior, ideſt non solet fieri. Genes. 6. Accipe tibi de omni cibo, qui comedetur, ideſt comedi solet. Leui. 5. Sæpius de omnibus, quæ faciet homo, ideſt solet facere. Deuter. 1. Et persecuti nos sunt, sicut facient apes, ideſt facere solent. Deutero. 28. Sicut uolabit aquila. Iud. 17. Quisq; quod bonum est in oculis eius faciet, ideſt facere solebat. 1. Samuel. 2. Sic facient omni Israheli, ideſt sic facere solebant 1. Samuel. 20. Ecce non

ce non faciet Pater meus rem paruam, uel magnam, ut non indicet mihi, id est, Ecce non solet facere.

EXEMPLA VBI SENSVS PER POSSVM, & per infinitiuum reddendus est.

Psalm. 22. Numerabo omnia ossa mea, idest possem dinumerare, ità in cruce extensus sum. Gene. 13. Terra non tulit eos, idest ferre non potuit. Item Genes. 16. Et non numerabitur præ multitudine, idest, non numerari poterit. Nume. 35. In quo morietur, idest mori poterit seu interfici. Psal. 115. Non loquentur, non uidebunt, non audient, non olfacient, non palpabunt, non mussabunt. Deut. 4. Qui non uidebunt, & non audient, & non comedent, & non olfacient. Deutero. 28. Cuius linguam non audies, idest non poteris audire, intelligere. Iere. 13. non proderit, quod bis ibidem repetitur, & significat non poterit prodesse. 1. Reg. 13. Populus est multus, non numerabitur præ multitudine. i. non numerari poterit. Psal. 104. Tanget montes & fumigabunt, idest, qui ita tangere montes queat, ut protinus fumigent.

EXEMPLA, VBI SENSVS per DEBEO, & uerbi infinitiuum reddendus est.

Leuit. 4. Sæpius repetitur Theaseh non debet fieri. Num. 35. Nam in ciuitate refugij sui sedebit, id est,

debet

debet ſedere, habitare. 2. Reg. 3. Et accepit filium eius, qui pro eo regnabit, & ſacrificauit eum, ideſt qui pro eo regnare debebat 1. Samu. 20. Et ego ſedendo ſedebo cum Patre tuo, ideſt omnimò ſedere debebo cum Patre tuo. Geneſ. 20. Et facta, quæ non fient, (ideſt nequaq̃ fieri deberent) feciſti mecum. 3. Reg. 3. Pete à me, quod dabo, ideſt quid debeo dare. Pſalm. 32. Docebo te viam, quam ibis, id eſt, ire debeas.

EXEMPLA, IN QVIBVS per VOLO, & uerbi infinitiuum reddi ſenſum oportet.

Gene. 24. Nunquid ibis cum hoc homine? Ibo, ideſt uis ire, uolo. Exod. 6. Quod pinſetis pinſite, quod coquetis coquite, ideſt quod uultis coquere aut pinſere. Oſe. 7. Peregrini exederunt ſubſtantiam eius, & non nouit, ideſt noluit noſſe. Pſal. 62. Interficietis nos omnes, ideſt interficere conamini 1. Samuel. 21. Si eum accipies tibi (ideſt ſi uis eum tibi accipere) accipe. Eſ. 3. Non ero Curator, ideſt nolo eſſe Curator. 1. Corinth. 6 Quarè non potius ἀδικεῖσθε, ἀποστερεῖσθε? id eſt, quarè non potius pati uultis iniurias & rapinas ueſtrarum rerum. Ibidem, Sed ego ſub nullius poteſtatem redigar, ideſt redigi uolo. 1. Corinth. 6. Tollens igitur membra Chriſti, ſcorti membra faciam? de uoluntate, non de euentu loquitur, ideſt facere uelim? Abſit à me tam praua uoluntas.

luntas, Matth. 10. Qui inuenerit animam suam, perdet eam, ideſt qui uolet eam inuenire uel ſeruare, ut eiuſdem Euangeliſtæ Cap. 16. habetur. Sic ibidem legitur, qui perdiderit animam ſuam, ideſt uolet uel paratus erit perdere pro gloria Dei. Lucæ. 8. Matth. 13. Videntes non uident, & audientes non audiunt, ideſt nolunt uidere nec audire. Actor. 7. Coëgit eos in concordiam, ideſt uoluit, conatus eſt eos cogere. Roma. 15. Chriſtus ſibi ipſi non placuit, ideſt non hoc præcipuè egit, non in hoc incubuit, ut ſibi tantum morem gereret, ſed, ut Patri ſatisfaceret, ſeipſum neglexit. Ibidem, & non ſibi ipſis placere. Item, Vnuſquiſq; proximo placeat, ideſt ſtudeat placere & prodeſſe. Item, Gala. 5. Qui in lege iuſtificamini gratia excidiſtis, ideſt qui per legem uultis iuſtificari. Et Gala. 1. Si hominibus placerem, ſeruus Chriſti non eſſem, id eſt, ſi ſtuderem in primis hominibus placere, non poſſem ſimul & CHRISTO ſeruire, nam nemo poteſt duobus dominis ſeruire. 1. Corinth. 10. Sicut ego per omnia omnibus placeo, ideſt placere ſtudeo.

Citauimus in hac parte Regulæ duo Pauli dicta, quæ, quod ad uerba attinet, pugnare inter ſe uidentur, quorum alterum eſt 1. Corint. 10. Quemadmodum ego per omnia omnibus placeo. Alterum uero Gal. 1. Si hominibus placerem, ſeruus CHRISTI non eſſem. Eſt autem ſenſus poſterioris dicti. Si placerem, ideſt ſi in primis & præcipuè hominibus placere ſtuderem, &

non

non habita ratione doctrinæ CHRISTI. *Prioris uerò dicti, per omnia omnibus placeo, hic sensus est. Placere studeo omnibus, ità tamen, ut præcipuè* DEO *placere conor, quin & ob hoc ipsum fauorem hominum ambio, ut diuinæ uoluntati quam plurimos ad ueram doctrinam alliciendo satisfaciam. Non pugnant igitur hæc duo dicta. Quod autem hic sit horum locorum sensus, facillimè ex ipso cõtextu, undè sumpti sunt, probari potest. Prius dictum loquitur de studio quærendi fauoris humani in timore* DEI *& ad gloriam* DEI *directo. Posterius uerò loquitur de captando fauore hominum, neglecto penitus* DEO.

EXEMPLA, VBI PER INFINITIUUM & PERMITTERE sensus uerbi reddendus est.

Psalm. 119. *Nè facias me aberrare à mandatis tuis. Esa.* 53. *Quarè facies errare nos* DOMINE *à uijs tuis, indurabis cor nostrum ne timeamus te? i. quarè permisisti. Sic nè nos inducas in tentationem, idest nè permittas nos induci in tentationem. Sic opinor & loca de Pharaone intelligenda esse. Indurauit &c. Item locum Pauli Rom.* 9. *Indurat, & similes. Quod ex eodem* 9. *ad Rom. cap. probari potest. Exponit enim tales locutiones per illud sequens. Quod si* DEVS *uolens ostendere iram tolerauit in magna patientia uasa iræ, quod idem est, ac si diceret permisit eos aliquandiu*

insanire,

insanire, seu tulit eos, idq; magna patientia, non ipse eos ultro ad insaniam pepulit. Ezech. 14. Ego DOMINVS Pitithi errare feci Prophetam illum. Sic & uerbum DARE aliquando permissionem significat, ut Rom. 1. Dare in reprobum sensum. Genes. 20. Propterea non dedi te attingere eam. 1. Samuel. 18. Non dedit eum reuerti in domum Patris sui, id est non permisit.

ALIAE QVAEDAM AC DIuersæ Regulæ.

1.

Crebrò uerba & participia actiua ac passiua omni tempore soluta habitum magis, quàm actionem aut passionem certo tempori alligatam significant. Atq; hæc Regula cum præcedenti aliquatenus conuenit, ut Psal. 51. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, id est, tuo iudicio semper fui, sum, & ero peccator & maleficus. Psal. 112. Dispersit & dedit pauperibus, id est, pius homo semper talis est, qui egentes semper omnibus modis iuuet & sustentet. Psal. 2. Quarè fremuerunt gentes, id est, fremuerunt, fremunt & frement.

2.

Hebræi uerba & participia uerbis ità iungunt sicut aduerbia iungi solent, uel potius uerba pro aduerbijs ponunt, ut Genes. 8. Et addidit mittere columbam, id est iterum misit, & non addidit columba reuerti. i. non est amplius reuersa. Ibidem, non addam ma-

ledere terræ, non addam percutere terram. Iob. 10. Et reuertaris, & mirabiliter affligas me, ideſt, iterum affligas. Et Geneſ. 26. Et reuerſus eſt Iſaac, & fodit puteos, ideſt, iterum fodit. Sic Pſal. 103. Altificat ad ſedendũ, id eſt, glorioſè ſeu magnificè regnat, & humiliat ad uidendum, ideſt, demiſſo, manſuetoq; animo etiam infimas res curat, Gene. 25. Et addidit Abraham, & accepit uxorem. Ioel. 2. Magnifecit ad agendum, ideſt, nimium, ſeu ſuperbe fecit. Ioel. 2. Et laudabitis nomen DOMINI, qui fecit uobiſcum ad agendum mirabiliter, ideſt, mirificè egit. Geneſ. 30. Reuertar, & paſcam oues tuas, ideſt, denuo paſcam. Pſal. 106. Feſtinauerunt obliti ſunt operũ eius, ideſt, citò, feſtinanter obliti ſunt. Hoſe. 9. Profundaeuerunt, corruperunt, ideſt, profundè, ſeu uehementer corrumpunt uitam. Gene. 37. Non potuerunt, locuti ſunt ad pacem, ideſt, non potuerunt loqui pacificè. Ioſuæ. 4. Et feſtinauerunt populus & tranſierunt. 1. Samuel. 1. Et factum eſt cum multiplicauit ad orandũ. Rom. 10. Audet & dicit, id eſt, audacter dicit. Nec multum differunt hæc uerborum exempla ab illis phraſibus, Veritas & iudicium, ideſt, uerum iudicium, Veritas & miſericordia, ideſt, conſtans. Item Pſal. 16. Vocem meam, ſupplicationem meam. De quibus locutionibus in conſtructione nominis diximus.

3.

Multum transferunt nomina & uerba ab hominibus ad DEVM ἀνθρωποπαθῶς, quæ cum

DEO

DEO *propriè non conueniant, nec in uera significatione accipi possint. Simile quiddam per Metaphoram, aut certè per Metalepsin coniunctum ac consequens propriæ significationi significant, ut Genes. 7.* Et recordatus est DEVS *Noë, & animalium, quæ erant in Arca, ideſt, tanquam si hactenus oblitus esset, nunc uerò primum recordaretur, cœpit eorum liberationem procurare. Psal. 121.* Ecce non dormitabit, neq; dormiet, *qui custodit Israhel. Talis est locutio, Surge* DOMINE, *respice* DOMINE *&c. Quare stas à longè* DOMINE? *Auertit* DOMINVS *faciem ab aliquo, conuertit ad aliquem &c.*

Est etiam in hac translatione uocabulorum ab hominibus ad DEVM *obseruandum, quòd omnes uoces fiant significantiores, & si anteà significarunt noticiam aut sermonem, iam incipiunt significare quiddam Reale, seu essentiale. Vt,* Benedixit DEVS *Abrahæ, nouit* DOMINVS *uiam iustorum,* DOMINVS *maledixit alicui. Causa huius significantiæ est, quia* DOMINVS *dixit & facta sunt,* DOMINI *dicere est esse uel fieri.*

4.

SErmo Hebræus sæpè admodum secundum cognitionem, iudicium, aut opinionem præsentium hominum de rebus magis loquitur, quam secundum ipsius rei esse, Siue rei ueritas conueniat cum illa hominum cognitione, siuè non, *ut Reg. 1. Ego uerò & Salo-*

non filius tuus erimus peccatores, ideſt habebimur digni morte & interficiemur. Eſa. 44. Narra tu ut ſis iuſtus, ideſt, habearis iuſtus. Talia ſunt, Ierem. 1. Ecce ego poſui uerbum meum in ore tuo, Vide præfeci te hodiè ſuper gentes & ſuper regna ad euellendum & extirpandum, ad perdendum & diſſipandum, ad ædificandum & plantandum, ideſt, ut annuncies regna eſſe euellenda, extirpenda, perdenda & diſſipanda, plantanda & ædificanda, & illa. Leuit. 13. & ſæpè aliàs, & immundabit, pro immundum pronunciabit. Item, & mundabit eum, ideſt, mundum pronunciabit. Pſal. 51. Vt ſis mundus & purus cum iudicaris, ideſt, agnoſcaris eſſe mundus. Sic fortè & illud Eſa. 6. intelligendum eſt. Impingua cor populi huius, ideſt, impinguatum eſſe nuncia, exprobra eis. Nam Euangeliſtæ in præterito legunt, Iohan. 9. Si cæci eſſetis peccatum non haberetis, nunc autem dicitis, uidemus, ideò peccatum ueſtrum uobis manet, ideſt iam non eſtis cæci ueſtro iudicio, cæterum ſi ueſtram cæcitatem agnoſceretis, tolleretur peccatum ueſtrum. Item Rom. 7. Ego ſinè lege uiuebam, ideſt, non uerè agnoſcebam uim legis. Ibidem, ut peccatum eſſet uehementer peccatum, ideſt, uerè agnoſceretur peccati fœditas & magnitudo. Rom. 3. Veritas per meum mendacium exuberauit, ideſt, exuberans eſſe cognita eſt, uel, quàm ſit excellens. Item, Sit uero DEVS uerax, omnis autem homo mendax, ideſt, ſic ſe rem habere agnoſcatur. Ac multæ omninò tales locutiones

ſunt

sunt in Paulo. Sic Rom. 4. Lex iram operatur, id est, manifestat iram DEI. Nam lex non operatur iram, quæ etiam antè prædicationem legis est, sed tantum eam ostendit, & ità cum eam in lucem protrahat, & hominibus ostendat, uidetur eam effecisse. Sic ubi non est lex, non est transgressio. Luc. 15. Amen dico uobis, quod ità gaudium erit in cœlo super uno peccatore resipiscente magis, quàm de nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Item, non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. i. qui putant se esse iustos &c.

Nec iam loquor de phrasibus, quæ uulgi errore primum in consuetudinem linguæ, deindè etiam in sacras literas peruenerunt, ut cum DEO tribuitur corpus, membra corporis, aliæq; hominis circumstantiæ, ut sedere, stare, surgere &c. quæ DEO non conueniunt. Item cum fines cœlorum nominantur & columnæ terræ &c. sed de eo genere, cuius exempla superius ostendi.

Causa huius consuetudinis sermonis fortè hæc est, quod ea demum esse uidentur, quæ ex tenebris in hominum noticiam, ac quasi uitæ huius lucem protracta sunt, quorumq; aliquis in hac uita usus est. Quæ uerò adhuc in tenebris latent & penitus ignorantur, quasi non uidentur esse, sicut etiam aliqui antiqui esse senserunt, ut ex 4. Metaphysicorum animaduerti potest. Ad hanc opinionem Schachar & Boker, id est, Aurora & mane, quæ nomina ab inquisitione & discretione

rum ueniunt, & Aereu, ideſt, ueſpere, quod nomen à commiſcendis ſeu confundendis rerum diſcriminibus deducitur, alludere uidentur. Ac omninò plæraq; practica magis ſecundum iudiciũ uulgi, ac maioris hominum partis aguntur & tractantur, quàm ſecundum exactam rei ueritatem.

5.

VIdentur quædam exempla præcedentis Regulæ etiam ſub alia quadam Regula comprehendi poſſe, nempè, Quòd Hebræi ſæpè dictiones (ut ità dicam) Reales pro dictionibus uerbalibus ponant ſeu uerba ſignificantia eſſe pro uerbis noticiæ. Linacer in fine Libri 2. appellat hunc tropum, pro dicto factum ponere, Habet & exempla ibi. Ex Poëtis citat Virgilium in Bucolicis. Peſiphaën niuei ſolatur amore iuuenci, pro canit (ut ſic dicam) conſolatam, & quædam alia, quæ ibi legi poſſunt.

Referrentur autem ad hanc Regulam hæc exempla, Ierem. 1. Ecce ego poſui te &c. ut deſtruas, plantes, euellas, ideſt, annuncies deſtruẽda, euellenda & plantanda eſſe regna. Item exempla ex Moſe, mundum & immundum facere, pro pronunciare. Et Roma. 4. Lex iram operatur, id eſt, denunciat, reuelat. Item Romano. 1. Concluſit ſcriptura omnes ſub peccato, ideſt, conuicit peccati, & alia plæraq; prius recitata.

REGV-

REGVLA PRAECEDENTEM Hebraismum compendio repetens.

6.

VTuntur Hebræi crebrò tali quodam tropo, ut (sicut Limacer in fine secundi loquitur) factum pro dicto ponant. Nam uerba, quæ aliàs esse, aut fieri quippiam significant, sæpè non essentiam aut actum, sed illius essentiæ actusue, aliàs indicationem, uel (ut sic dicam) notificationem, aliàs opinionem, aliàs cognitionem denotant. Iudico autem Metaphoram esse, Nam cum, teste Aristotele, cogitatio & sermo sint rerum ὁμιώματα uocabula per similitudinem à rebus ad eorum cognitionem & de eis sermonem transferuntur.

EXEMPLA INDICATIONIS.

Ierem. 1. Præfeci te hodiè super gentes & regna, ut euellas, extirpes, diruas, plantes, ædifices, idest, ut annuncies euellenda, extirpanda, perdenda, diruenda, plantanda & ædificanda esse. Sic Leuit. 13. Immundabit & mundabit, idest pronunciabit immundum & mundum. Esa. 6. Impingua cor populi huius. Roma. 4. Lex iram operatur, idest, indicat, annunciat.

EXEMPLA OPINIONIS.

1. Reg. 3. Ego & filius tuus Salomon erimus peccatores. i. habebimur pro reis. Psalm. 143. Non erit iustus corã te omnis uiuens. i. nemo iudicabitur coram

te iustus, Lucæ 15. Plus quàm de nonaginta nouem iustis. Item, Non ueni uocare iustos, ideſt, qui ſibi uidentur eſſe iuſti. Prouer. 3. Ne ſis ſapiens in oculis tuis, ideſt ne tibi uidearis ſapiens 1. Corinth. 1. Per ſtultitiam Euangelij ſaluos facere credentes. Ibidem, Quod ſtultum eſt DEI, et quod imbecillium eſt DEI. Eodem pertinere uidentur illa, Ioan. 6. Si ego de me teſtificor, teſtimonium meum non eſt uerum, & Ioban. 8. In lege ueſtra ſcriptum eſt, quod teſtimonium duorum uirorum ſit uerum, ideſt iudicio & opinione hominum, mei ſolius teſtimonium, idq; de meipſo non haberetur pro uero, ſed duorum teſtium teſtimonium debet & ſolet haberi pro uero, etiam ſecundum ueſtræ propriæ legis decreta.

EXEMPLA COGNITIONIS.

Pſal. 51. Vt ſis iuſtus cum loqueris, mundus cum iudicas, ideſt, ut agnoſcatur DEI accuſantis & iudicantis munda innocentia & iuſtitia. Eſa. 44. Narra tu ut ſis iuſtus, ideſt ut tua iuſtitia agnoſcatur. Iohan 9. Si cœci eſſetis peccatum non haberetis, ideſt ſi cœcitatem ueſtram & errores agnoſceretis, remitterentur uobis peccata. Rom. 7. Ego ſine lege uiuebam, ideſt non uere agnoſcebam uim legis. Item, ut peccatum eſſet uehementer peccatum. Rom. 3. Veritas DEI per meum mendacium exuberauit. Item, Sit DEVS uerax. Rom. 5. Lex ſubintrauit, ut abundet peccatum, ideſt, ut magnitudo ac fœditas peccati agnoſcatur. 1. Corint. 3.

Stultus

Stultus fiat, ut reddatur sapiens, idest, suam stultitiam agnoscat. 7.

EST & contrarius huic Hebraismus satis usitatus, *ut uerba uerbalia, pro realibus ponantur, seu dictum pro facto, ut cum dicimus* DEVM *alicui benedicere, aut maledicere, pro benefacere & malefacere. Item uerbum* Gaar *increpare, pro punire. Psal. 9. Item,* DEVS *uocat ea, quæ non sunt. Roma. 4. id est, cum uult statim ea effecta exhibet, adeò est omnipotens. Item, Esa. 7. Vocabitur nomen eius Emanuel, id est, re uera est* DEVS *protector noster. Item, nomen sæpè inuenitur pro re positum. Psal. 8. Protegat te nomen* DEI *Iacob. Acto. 4. Non est aliud nomen sub cœlo datum &c. Philip. 2. Dedit ei nomen, quod est super omne nomen. 1. Corin. 5. Qualis scortatio nec inter Ethnicos nominatur, id est, in usu est, existit. Sic sæpè clamare pro aliquid tumultuosius agere ponitur. Genes. 19. Quoniam creuit clamor eorum coram Domino. Et silere pro requiescere. Psal. 28. Nè taceas à me, nè si fortè silueris. i. quiescas, nè omittas, quo minus opem feras.*

TRES REGVLAE DE QVIBVSDAM SCRIPTVRAE loquutionibus generalibus, nimisq; late patentibus. 1.

VNiuersalis persæpè apud Hebræos latius patere uidetur, quam præsentis materiæ natura postu-

lat. Quare specificatione quadam opus est, qua applicetur ea uniuersalis ad præsens negocium. 1. Samu. 20. Et non est locutus Saul quicquam ea die, scilicet de absentia Dauidis. Ibidem, Et puer nesciuit quicquam, scilicet de negocio præsenti, quod inter Dauidem & Ionathan agebatur. 1. Samuel. 25. Et non perijt ex omnibus, quæ ei erant, quicquam, scilicet ex pecoribus, quæ erant apud Dauidem, & culpa Dauidis. 2. Samuel. 15. Et non sciuerunt omne uerbum, idest, quicquam eorum, quæ Absalon contrà Patrem moliebatur. 1. Reg. 12. Et lapidauerunt eum omnes Israhelitæ, scilicet, qui illic erant, ubi hoc accidit. Hæc priora exempla ideo obseruanda sunt, ut in sequentibus dictis contra Papistas non tantum sententiam, sed & uerba habeamus. Matth. 16. Quicquid ligaueritis in terris, erit ligatum in cœlis, & quicquid solueritis in terris, erit solutum in cœlis. Item Iohan. 20. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorumcunq; retinueritis, retenta sunt, scilicet agendo secundum meam uobis datam commissionem, & secundum meam doctrinam, prædicando Euangelium, seu per sinceram Euangelij prædicationem, &c. Matth. 25. In Cathedra Mosi sedebunt Scribæ & Pharisæi, Omnia ergo, quæcunq; iusserint seruare, seruate & facite, scilicet, omnia ea, quæ Cathedræ Mosi genuina sunt, & non accesserunt ex fermento Pharisæorum, nam illa uehementer cauenda sunt. Mar. 9. Omnia sunt possibilia credenti. Iohan. 14. Quicquid petieritis in

ritis in nomine meo, scilicet licitum, & secundum eius uoluntatem, ut alibi circumscribit. Ad Phil. 4. Omnia possum in eo, qui me confortat. 1. Corinth. 13. Charitas omnia credit, omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet, scilicet, credenda, ferenda, & speranda. Similia exempla sunt passim in sacris literis obuia.

II.

Sæpè uerba Hebræa necesse est in maiori quadam Emphasi accipi, quam alioqui usitatè significant, perindè ferè, ac si particula Valdè, uel aliquod aliud intendendi aduerbium eis additum sit. Posset fortè ad Liptoten hæc figura referri. ut Matth. 6. Nolite solliciti esse de crastino, id est, ualde excruciari sollicitudine, ac nimium anxij esse. Item Matt. 10. Ne sitis solliciti, quomodo, aut quid loquamini, Non prohibet diligentiam in officio, sed nimiam sollicitudinem, & cum quadam desperatione coniunctam. Item eodem. Ne metuatis ab ijs, qui occidunt corpus, id est, nè nimium, & plus quam ipsum Deum timeatis, aut ne timore deficiatis. Iere. 10. Nolite timere à signis cœli. Psal. 112. A tristi fama non timebit. Iohan. 12. Qui amat animam suam, perdet eam, id est, qui nimium, & non suo ordine, ac loco amat. Matt. 13. Qui enim habet, ei dabitur, qui uerò non habet, & quod habet, auferetur ab eo, id est, qui multum habet, aut nõ multum habet. Sic, Ne nos inducas in tentationem, id est, ne nos nimium tentari, seu tentationibus uinci, & opprimi permittas. Sic & Marc. 14. &

Lucæ.

Lucæ.22. Orate nè intretis in tentationem, intelligendum est. Item Matth. 11. Venit Iohannes neq; bibens, neq; comedens, id est, non multum comedens, seu tenuissimè uictitans. Venit filius hominis bibens & comedens, id est, satis liberaliter uiuens, & perindè, ut alij honesti homines communiter. Lucæ. 10. Nolite portare sacculum &c. neminem in uia salutaueritis, id est, nè patiamini uos alijs negocijs à uestro officio abduci. Item. 2. Iohan. 1. Qui dixerit ei aue, communicat operibus eius malis. Ad hanc Regulam pertinent & locutiones, aliquem aliquid esse, aut nihil esse Gal. 2. 1. Corinth. 3. 1. Corinth. 7. id est, aliquid eximium. 1. Corint. 1. Elegit ea, quæ non sunt, ut ea quæ sunt, confundat, ideſt, ea, quæ non ualdè sunt, & ea, quæ ualdè sunt.

III.

Nimis absolutè & amplè multa sæpè in sacris literis, præsertim in præceptis, regulis, & adhortationibus dicuntur, quæ tamen non absolutè ac simpliciter, sed ratione habita alicuius adiuncti, seu cum quadam conditione ac restrictione intelligenda sunt. Matth. 8. Nisi facti fueritis sicut paruuli isti, non introibitis in regnum cœlorum. Philip. 4. Nihil solliciti sitis. Non omnem, sed nimiam, diffidentemq; sollicitudinem improbat. Lucæ. 4. Cum facis prandium, noli uocare fratres tuos, consanguineos, neq; uicinos tuos diuites, sed uoca pauperes, mutilos, claudos & cœcos. Videtur Dominus simpliciter mandare, ne ijs benefaciamus, qui nobis re-

ferre

ferre gratiam possunt, Sed tantum ijs, qui non possunt, cum illud prius officij genus non interdicat, sed hoc posterius uult longè studiosius exerceri, quàm exercetur, ac non uult impediri hanc in miseros benignitatem, per nimium illius prioris officij studium, ut alioqui plerumq; fit. Item ibidem. Si quis non odio habebit Patrem suum, matrem, fratres, sorores & propriam animam, non potest esse meus discipulus. Item. Quicunq; non renunciauerit omnibus suis, non potest esse meus discipulus. Iohan. 12. Qui odio habet animam suam in hoc mundo, in uitá æterna custodiet eam. Videtur absolutè præcipere, ut nostra, nostros, ac uitam ipsam odio habeamus, & negligamus, cum tamen nihil aliud postulet, nisi ut gloriam Dei, ac æternam salutem, longè omnibus humanis rebus anteferamus, paratiq; simus propter ipsum omnia deserere & pati.

Similia his sunt & illa Matth 5. & Lucæ. 6. Si quis te percusserit in dextram maxillam, porrige ei & alterã. Et, Si quis tibi aufert pallium, da ei & tunicam. Si quis te adegerit, ut eas tum eo miliare unum, eas duo. In his enim dictis uidetur mandare Christus, ut non solum feramus patienter illatas iniurias, sed etiam uitrò plures expetamus, ac quasi occasionẽ patiendi quæramus, unde quidam suas ἐθελοθρησκείας hauserunt, cum tantũ iubeat illatas iniurias patienter ferre, nec ob ultionis studiũ (ut crebro fit) cœlũ terræ miscere, & contentionibus subinde crescentibus Euangelij cursum impedire,

pedire, aut etiam ob multas iniurias ministerium deserere. Item Genes. 13. Ne loquaris cum ipso à bono usq; ad malum, id est, ne quicquam durius, uel agas, uel loquaris cum eo. Prouerb. 6. Nè respondeas stulto secundum stultitiam eius, nè & tu fias ei similis: Responde stulto, secundum stultitiam eius, nè uideatur sibi sapere. Fortassis hæc loquendi ratio in adhortationibus ideò in usum uenit, quòd cum homines in contrarium nimis proni sint, eos in alterum contrarium, ueluti curuum lignum, iuxtà præceptum Aristotelis, inflectere monitores conati sunt, ut sic tandem res ad medium redirent.

Nec multum diuersa sunt ab his illa. Nolite solliciti esse de crastino, nolite timere &c. Videtur enim hæc posterior Regula aliquanto amplior esse, ac posse utranq; priorem in se continere.

QVAEDAM ALIAE, AC INTER se diuersæ Regulæ. I.

Sæpè de rei Idæa, ac de impossibili perfectione ità loquuntur Hebræi, tanquam si ea sit possibilis, ac in usum cadere possit. Matth. 19. Si uis uitam ingredi serua mandata. Roma. 2. Non auditores, sed factores legis iustificabuntur. Quibus dictis non asseritur, quòd lex sit possibilis, aut iustificare possit.

Huc referendæ sunt omnes locutiones legales. Ac fortassis hoc ipsum est pars aliqua uelaminis illius Mosaici, de quo. 2. Corinth. 3. quod sic Moses loquatur, tanquam lex, & præstari, & iustitiam dare possit. Hortatur

tatur enim ad faciendum, promittit facientibus omnia bona, minatur non facientibus omnia mala. Nusquam dicit, O tu miserrime homuncio, agnoscito te nec satisfacere legi Dei, nec id tibi factu possibile esse, ac propterea te damnatum esse, æternoq; exitio addictũ. Quarè non à me, nec à tuis operibus auxilium tibi quærendum esse scito, sed aliundè, sicundè potes. Cum tamẽ secundum Paulum, is sit finis & scopus Mosis.

Huc etiam referri possunt amplificationes quædam Hebraicæ, ab inusitatis, ac propemodum impossibilibus rebus sumptæ. ut Matth. 5. Si oculus tuus scandalizauerit te &c. Oculus, manus, pes & cætera non scandalizant, nec debent abscindi, nè faciamus contrà præceptũ, Non occides, Nec tamen propterea quærendæ sunt hic Metaphoræ, nescio quales, ut per oculum uelimus intelligere consiliarium &c. Non enim tantum de magnis dominis loquitur, sed etiam de infimis homuncionibus. Est enim amplificatio ab inusitato & impossibili sumpta, quæ æternarũ pœnarum magnitudinẽ extollit, quasi dicat, tam horribilis res est æterna damnatio, ut quæq; charissima sint potius amittenda, quàm ferendum, ut in illud tantum malum ob ea perueniamus. Quinetiam propria membra, quæ nobis longè carissima sunt, si nos ad æternam salutem properantes impedirent, potius abscindenda essent, quàm unà cum eis pereundum. Talis ab inusitato sumpta amplificatio est & illa. Matt. 21. Si dixeritis monti huic, ruas in mare, Item

re. Item Lucæ.3. Dico enim quod ex his lapidibus potest Deus excitare filios Abrahæ, quasi dicat, potius quam Deus nos tales ferret, pro filijs Abrahæ, seu suo populo, faceret ex lapidibus hisce Abrahamo filios, & sibi cultores. Tales amplificationes à re minimè usitata sumptas plures habet Paulus. 1. Corin. 13. Non dissimile est huiusmodi amplificationi illud Terentianum Heaut. Act. 5. Sce. 4. Non si ex capite meo natus esset.

2.

Sæpè accidit, ut noui Testamenti scriptores aliquas Hebræas πολυσήμους uoces, uel redditurí, uel expressuri eorum maximè obuia significatione pro alijs minus obuijs usi sint. Matth. 5. Beati pauperes spiritu, id est, afflicti, mœsti, nam ani utrunq; significat. Coloss. 3. Charitas est uinculum perfectionis, id est, integritatis, id est, uinculum continens Ecclesiæ corpus integrum, & indiscisum, uerbum Schalã utrunq; significat, scilicet, perfectum & integrum esse. Sic uerbum pro sermone, doctrina, Quia Hebræi Dabar maximè obuia significatio est uerbum, cum tamen quandoq; alia significet. Sic Aeich, quomodo, pro cur, Sic ἐις τι, ad quid, pro cur. Sic Ve cõiunctionis Hebrææ maximè obuia significatio est, ηϗ Et, quarè, ηϗ Et, ponuntur pro omnibus significationibus coniunctionis Ve, ut in oratione Dominica, Et in terra, pro sic in terra. Sed in Paulo cum primis uaria significata copulatiua hæc exprimit.

3. Ter-

3.

Tertia persona, pro prima & secunda multum utuntur, ut Genes. 44. Loquatur quæso seruus tuus, id est, concede quæso, ut ego seruus tuus loquar. Ibidem, Dominus meus interrogauit seruum suum, id est, Tu Domine me interrogasti. Matth. 8. Filius hominis non habet, ubi caput reclinet, id est, ego, qui sum filius hominis, non habeo &c.

4.

Ociosè planè κατὰ πλεονασμὸν sæpè & uerba, & nomina quædam ponuntur, cum tamen ea in alijs adiunctis inclusa sint, ut, Et aperuit os suum, & loquutus est. Item, Voce mea clamabo ad Dominum. Item Genes. 13. Et leuauit Loth oculos suos, & uidit planiciem circà Iordanem. Item, aliquoties in Psalmis ponitur uocem preceptionis exaudiuit. Exod. 15. Reduxit super eos aquas maris. Psal. 54. Auribus percipe uerba oris mei. Item, Genes. 23. In auribus alicuius loqui. Ezech. 4. Auribus audire, oculis uidere.

5.

Sæpè, cum scriptura de aliquo ab alijs diuerso affirmat, uel negat aliquid, non est necesse de alijs diuersis diuersam sententiam esse ueram. Potest enim fieri, ut idem prædicatum de diuersissimis subiectis rectè prædicetur, ut. 1. Corint. 5. Eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Affirmat de ijs, qui foris sunt, non negat autem de ijs, qui sunt intus. Sic Matth. 12. Peccatum in Spiritum sanctum non remittitur, nec in hoc, nec in futuro

seculo: Non affirmat Christus, quòd alia peccata remittantur etiam in alia uita. Sic coruus nõ est reuersus, donec siccarentur aquæ, Negat intereà reuersum esse, non affirmat posteà redijsse. Matth. 1. Non cognouit eam, donec peperit. Negat de eo tempore, non affirmat de posteriori tempore. Huc & alia, de Donec referenda sunt. Scortatores, & adulteros iudicabit Deus. Hebr. 13. Hic affirmat Paulus, quod Deus castigabit scortatores, & adulteros, non negat de alijs sceleratis. Item, licet affirmet, quòd ipse Deus eos castigabit, non negat tamen, quin ab alijs, utpote à Magistratu sint puniendi. Sic cum Paul. 1. Corinth. 7. dicit bonum esse mulierem non attingere, non statim dicit malum esse eam attingere, utrumq; enim bonum est, Coniugium et Cœlibatus. Quarè paulò post dicit, bonum est sic esse, siue es in coniugio, siue extrà, utrumq; dicit esse bonũ. Item, Si quis elocat suam uirginem, bene facit &c. Sic igitur Bonum prædicatur de Coniugio, & casto Cœlibatu.

6.

Hebræi, cum non habeant comparatiuum & superlatiuum gradum, positiui uocẽ pro ipsis utuntur, cum particula Min, posita, uel subintellecta. Additis etiam aliquando intendendi aduerbijs, aliquando quoq; omissis. Genes. 42. Paruus autem iam cum Patre est, id est, minimus. Genes. 33. Leam autem & filios eius Acheronim, et Rachel & Ioseph, Acheronim, id est, posteriores & postremos. Matth. 26. Bonum erat ei, si natus non fuisset, id est, melius. Genes. 29. Bonum est tibi intrare

bi intrare claudum, uel mutilum in regnum cœlorum, quàm duos pedes, uel manus habentem, proijci in ignem æternum. Matth. 18. Qui autem scandalizauerit unum ex his minimis, prodest ei, ut suspendatur &c. i. satius ei esset. Iud. 2. Et corruperunt præ Patribus suis ad eundum post Deos alienos, id est, magis.

DE METAPHORIS.

I.

Cum Metaphoræ ab alijs ad alia ob similitudinem quandam earum rerum transferantur, multæq; proprietates rerum sint, quibus illæ iudicari possent similes, diligenter obseruandum, propter cuius proprietatis similitudinem Metaphora facta est, quò eius significationem cognoscere possimus, Vt Christus dicitur agnus, non propter stoliditatẽ ouillam (ut putant Monachi) sed quia olim agnus sacrificabatur pro peccatis, Et, ut figura agni Paschalis intelligeretur. Item, Christus non ideò dicitur fundamentum. 1. Corinth. 3. quia (ut Hypocritæ docent) tantum sit initium quoddam iustitiæ ac salutis nostræ. Sed quia est quiddam, in quo tota res sita sit. Sic etiam Leo alia ratione Christum significat Apocal. 5. Vicit Leo de tribu Iuda, nempè, ob fortitudinem: Alia item ratione Diabolũ. 1. Petri. 5. nempè, ob feritatem, qua ratione & malos homines significat. Aliud significat Fermentum, & alia eius proprietas consideratur. Matthæi. 16. Cauete uobis à fermento Pharisæorum, quàm Lucæ 13. Simile est regnum cœlorum fermento.

II.

Vtuntur autem Metaphoris Hebræi plurimum, ijſq; aptiſsimis: Sed quia ſæpè pluribus eas uocibus continuant (quæ ratio, ut Quintiliano placet, in Allegoriam & Aenigma exit) oratio eorum ſæpè obſcurior eſt.

III.

Ratio eſt, quia ſicuti diximus, cum Metaphoræ, propter plures conuenientias rerum inter ſe transferri, atq; ità diuerſas ſignificationes habere poſsint, fit, ut, ſi tantum una Metaphora ponatur, ſenſus facilè ex præcedentibus ſequentibuſq; propriè acceptis uocibus intelligi poſsit, Vbi uerò ſimul ſunt multæ Metaphoræ, ibi non poſſunt nobis ità auxilio eſſe præcedentes, & ſequentes dictiones.

IIII.

Idem incommodum accidit ſæpè ex eo, quod Metaphoras à diuerſiſsimis rebus ſumptas, inter ſe, & coniungunt & miſcent, aliquando pluribus uerbis (ut iam dictũ eſt) aliquãdo paucioribus. Non ſeruant igitur præceptũ Quintiliani, qui uult, ut ex quo genere translationis cœperimus, in eodẽ deſinamus. Iere. 31. Adhuc ædificabo te, & ædificaberis uirgo Iſrahel, adhuc plantabis uineas in montibus Samariæ. Exod. 3. Fœtere feciſtis odorem noſtrum in oculis Pharaonis. Coloſ. 3. Induere uiſcera miſericordiæ.

V.

Huius rei cauſa eſt, partim eadem, quam ſuperius diximus, nempè, quòd non antecedant, nec ſequantur uoces

tur uoces propriè positæ, partim etiam, quòd tam diuersæ res quomodo inter se copulatæ sint, non facilè est animaduertere, ut Eph. 2. Iam non estis hospites & incolæ, sed ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum &c. Hic non facilè est uidere, quid cõmune habeat ciuis & ædificiũ, aut uirgo et ædificari, quod in superiore regula ponitur. Itaq; illis quasi diuersissimis rebus inter se cõiunctis turbatur animus.

Hisce Regulis commodè & illud addi potest, quod Hebræi crebrò coniungunt uoces multum à se mutuò diuersas, quod genus sermonis uidetur esse durius aliquanto, ut, Oculi omnium in te sperant. Auribus percipe lachrymas meas, Excindere brachium, Excindere mustum ex ore, Debilitatum esse oleum. Ioel. 1. Populus uidit uocem Dei, Exod. 20.

Similitudinis particulæ sæpè non similitudinem rei, sed rem ipsam significant, ut Deut. 9. In illis autem Kecol sicuti omnia uerba, quæ locutus est Dominus, id est, illa ipsa omnia inerant. Iud. 13. Non feciſſet nos audire Cazoth sicut hæc, id est, hæc. 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & oeconomos. Lucæ. 22. Et erat sudor ipsius tanquam guttæ sanguinis, id est, erant guttæ sanguinis. Eodem modo etiam καθὼς usurpatur. 2. Corint. 1. Quemadmodum & cognouistis, Græca scholia habent δι' ὧν. Sed multò magis is sensus est. 1. Corinth. 1. Quemadmodum testimonium Christi confirmatum est in uobis. Iohan. 1. Sicut unigenitus à Patre, id est, utpote uerè unigenitus à

Patre. Et contrà non rarò ea, quæ in ſpeciem eſſentialiter dicta uidentur, ità accipienda ſunt, tanquam particulam ſimilitudinis habeant præpoſitam, ut Pſalm. 39. Ecce palmæ ſpacium poſuiſti dies meos, id eſt, ueluti palmæ ſpacium. Item Exod. 19. Super alas aquilarũ geſtaui te, id eſt, ueluti ſuper alas. Ioel. 1. Dentes eorum dentes leonum, id eſt, ſicut dentes leonum.

DE INTERROGATIONE

Regula. I.

Interrogatio non ſemper quærit, ſed ſæpè obiurgat, expoſtulat, aut certè queritur de re aliqua. Eſtq; hæc ſermonis forma Hebræis uſitatiſſima, quanquam & alijs linguis, præſertim in contentione non inuſitata. Ierem. 2. Quomodo dices non ſum maculata?

2.

Interrogatione figurata contrariam propoſitionem interrogamus eius, quam aſſerere uolumus, quò eam aduerſario ueluti inuito extorqueamus. Et hoc interrogationum genere Hebræi, non ſolum in contentione, uerum etiam in quieto, & familiari ſermone multũ utuntur. Pſal. 113. Quis eſt ſicut Dominus Deus noſter. Geneſ. 18. Nunquid difficile erit Domino uerbum? Ibidem. Nunquid occultabo ego Abrahamo, quod facturus ſum? Geneſ. 19. Nonnè parua eſt? Geneſ. 37. An non fratres tui paſcunt oues in Sichem? Ioſu. 10. Nonnè ſcriptum eſt hoc in libro? Pſalm. 115. Quarè dixerunt gentes, ubi eſt Deus eorum?

3.

Aduerbia interrogandi, Cur, Quarè, &c. ſæpè non im-

non immediatè iunguntur illi propositioni, de qua interrogant, sed alicui quæ illi coniuncta est, eamq; præcedit, ità, ut aliud quiddam quærere, quàm id quod quærũt, uideri possint, ut Esa. 50. Quarè ueni, et nõ fuit Vir, clamaui, & non respondit? Latini dicerent, Cur nemo recepit, cum ueni, nemo respondit, cum uocaui? Sic Esa. 58. Quarè ieiunauimus, & non uidisti? afflximus animas nostras, & non cognouisti? Dicendum fuisset: quarè non respexisti, eum ieiunauimus &c. Sic Marc. 2. Quarè discipuli Iohannis, & Pharisæorum ieiunant, tui non ieiũnant? Pro, quarè tui discipuli non ieiunant, cum illorum ieiunent? Quoties peccabit in me frater, & remittam ei? id est, quoties debeo remittere, si peccauerit. Esa. 5. Quarè expectaui, ut produceret botros, & produxit labruscas?

4.

Consuetudo est Hebrææ linguæ, ut habituri sermonem de re aliqua, studiosè quærant occasionem dicendi, atq; ideò statim à principio interrogant eos, cum quibus sunt locuturi, ut sic occasionem sermonis eliciãt: Ierem. 1. Quid uides Ieremia? Iohan. 21. Diligis me Petre? Iohan. 4. Nonnè uos dicitis adhuc esse quatuor menses usq; ad messem? Ibidem. Da mihi bibere. Amos. 8. Quid tu uides Amos?

5.

Responsiones, si ad Romanum morem exigi debeant, sæpè, quatenus ad uerba, minus commodè interrogationi redditæ uidentur, tametsi rebus commo-

dè. Vt tu dixisti.2. Samuel.9. Tu nè es Ziba? qui ait seruus tuus &c.2.Samuel.14. Ne celes quæso me uerbum, de quo te percunctabor. Loquatur quæso Dominus meus rex. Mar.7. Quarè tui Apostoli illotis manibus comedunt? quià rectè dixit Esaias de uobis Hypocritis &c. 6.

Sæpè uerba & præsertim futuri temporis, per interrogationem elata, non de actione uel passione, per ipsum uerbum significata quærunt, sed de causa eius, ut Ezech.33. Quarè moriemini domus Israhel? id est, quarè uultis dare causam huic tanto malo &c.1. Samuel.19. Dimitte me, quarè te interficiam, id est, quarè uis præbere mihi causam, ut te interficiam.2.Samu.2. Quarè te percutiam humi? Ierem.40. Quarè percutiet te in animam, & dispergetur totus Iuda, qui ad te iam congregatus esset, & peribunt reliquiæ Iuda? Genes.27. Cur utroq; filio orbabor die una? id est, quarè causam huic tanto malo præbebimus? Psal.79. Quarè dicent gentes, ubi est Deus eorum? id est, quarè tu Domine negligendo nos, eis huius tantæ blasphemiæ causam præbebis? Ierem.27. Quarè moriemini tu, & populus tuus in gladio, fame & peste? Ibidem, Quarè erit urbs deuastata? Psal.10. Quarè execratur impius Deum, dicit in corde suo non quæres? Psal.43. Quarè tristis incedo affligente me inimico?

DE DATIVO.

Multum utuntur Datiuo, post uerba significante, in gratiam, in utilitatẽ, uel contrà alicui aliquid fieri, ut

ut Gen. 23. Intercedite mihi apud Ephron filiũ Zochar.

Sæpè etiam cum nihil horum penitus (aut certè admodum obscurè) significet, ociosè penè additur, ut Genes. 22. Vade tibi ad terram. Item, Sedete uobis hic. Genes. 21. Sedit sibi è regione procul. Deutero. 5. Reuertimini uobis ad Tabernacula uestra. Esa. 3. Quid uobis contunditis populum meum.

Nomina cognationis præsertim proxima aliquando κατα χρησικῶς longiusculè à uero usu abducuntur, significantq; gradus remotiores, ut Patres omnes per lineam consanguinitatis ascendendo, Filij omnes per lineam descendendo, Fratres uerò & sorores omnes collaterales, & demum omnes quoq; modo arctius coniunctos. Vt filij Israhel, Patres nostri inuocauerunt te, Patres comederunt uuas acerbas. Sic quoq; domus pro posteritate, Socius pro proximo sumitur.

DE SYNECDOCHE.

Peruſitatum est Hebræis causam pro effectu, & effectum pro causa ponere, qui ſermonis tropus ad Synecdochen referri ſolet. Huius Hebraiſmi ſpecies aliquot recenſebimus.

Nomina ac uerba cognitionis perſæpè Hebræis, non ſolum ociosam cognitionem, ſed etiam effectus cognitionem ſequentes, aliàs plures, aliàs pauciores ſignificant, ut Pſal. 1. Nouit Dominus uiam iuſtorũ, id eſt, amat, tuetur. 2. Timoth. 2. Nouit Dominus ſuos. Prouerb. 12. Nouit iuſtus animas iumentorum ſuorum. Prouerb. 29. Nouit iuſtus cauſas tenuium. Rom. 11.

Non repulit Deus populum, quem anteà cognouerat, id est, complexus erat. 1. Corinth. 8. Si quis diligit Deum, is cognitus est ab eo, Ierem. 1. In utero noui te. 1. Thess. 5. Rogamus uos fratres, ut agnoscatis eos, qui laborant in uobis. Amos. 3. Audite Israhelitæ, tantum uos noui ex omnibus gentibus terræ. Psalm. 31. Exultabo, & lætabor in benignitate tua, quoniam uidisti afflictionem meam, cognouisti in tribulatione animam meam. Item pati, uel experiri malum. Esa. 47. Nesciam orbitatem.

In his exemplis Nosse significat, nõ tantũ habere noticiã, sed etiam affectus, & actiones consequentes, nempè, diligere, curare, adiuuare. Sic Christus dicitur non nouisse peccatum, 2. Corinth. 5. id est, non admisisse, non probasse. Amos. 3. Non sciuerunt facere rectitudinem. Et Psal. 35. Surrexerunt contrà me testes mendaces, Quæ non cognoui, interrogauerunt me, id est, quæ non perpetraram, de ijs me examinabant. Tale est & illud Esaiæ. 53. Noticia sui iustificabit iustus seruus meus multos. Et Ierem. 2. Tenentes legem non nouerunt me. Iohan. 16. Hæc facient uobis, quia non nouerunt Patrem neq; me: Vbi non de noticia, qualem Diaboli, & impij habent, loquitur, sed de uiua, nempè, quæ simul amat Deum, timet Deum. Nec est multum diuersa locutio Pauli. 2. Corinth. 5. Neminem noui, id est, ex nullo pendeo, nulli confido.

Verbum Heemin credere, hac eadem sermonis figura, sæpè non tantum noticiam historiæ significat, qualis etiam in impijs esse potest, sed etiam affectus

consequentes, quos pij Doctores hoc tempore uno fiduciæ nomine complectuntur, quosq; nos in scripto de uoce, & re fidei prolixius ex instituto explicauimus, Et totius huius uocis naturam ueriſsimè ediſſeruimus, ut iam neceſſe non ſit hîc eadem illa repetere.

2.

Sic & uerba ſenſuum non tantum noticiam, ſed etiam ſequentes motus ſignificãt, ut, Vidit, Audiuit. Videre enim ſignificat, non ſolum oculis obiecta percipere, ſed etiam uoluptatem, aut dolorem, quæ plærumq; ſenſum comitantur. Item commoda, quæ ex rebus uiſis conſequuntur Pſal. 106. Vt poſsim uidere bona electorum tuorum, & lætari in læticia gentis tuæ. Pſalm. 226. Potuiſſem numerare omnia oſſa mea, ipſi inſpexerunt, & intuiti ſunt me. Pſal. 112. Confirmatum eſt cor eius, non timebit, donec uideat in hoſtibus ſuis. Pſal. 59. Deus faciet me uidere in hoſtibus meis, id eſt, optatum euentum faciet me ſpectare cum maximo gaudio. Significat quoq; experiri, accipere bona, & mala, frui bonis, perpeti mala, Quanquam hæc ſignificatio, non ità diuerſa eſt à ſuperiori. Pſal. 4. Quis faciet nos uidere bonum? Pſal. 27. Niſi credidiſsem me uiſurum bona Domini in terra uiuentium. Pſalm. 128. Et uideas bona Ieruſalem omnibus diebus uitæ tuæ. Pſal. 60. Feciſti populum tuum uidere dura. Pſal. 16. Non dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Pſal. 89. Quis eſt homo, qui non uidebit mortem? Et Lucæ. 2. non uiſurum mortem. Significat etiam curare in bonam & malam partem.

Pſal.

Psal.9. Miserere mei, & uide afflictionem meam de hostibus meis. Psal.10. Vidisti, quoniam laborem & dolorem tu inspicies, ut reponas in manum tuam. Psal.119. Vide afflictionem meam, & eripe me. Ierem.1. Vide Domine afflictionem meam, quoniam superbiuit hostis. Rom.10. Qui stat, uideat, nè cadat. Philip.3. Videte canes, uidete malos, id est, cauete. Genes.4. Respexit Dominus ad sacrificium Abel, & ad sacrificium Cain non respexit. Coloss.2. Dicite Archippo uide ministerium tuum. Sic oculi, uultus, facies alicuius super aliquem significat aliàs benefacere, aliàs malefacere alicui, ut Amos.9. Ponam oculos meos in malum, & non in bonum. Psal.34. Vultus Domini in facientes malum. Item, Illuminare faciem super aliquem. Sed nihil est necesse citare plura exempla, cum ubiq; sint obuia.

3.

Audire quoq; significat, non tantum auribus sonum percipere, sed etiam id, quod sequitur, nempè intelligere, probare, & amplecti.

EXEMPLA VBI INTELLIGERE significat.

Esaiæ.36. Loquere quæso ad seruos tuos Syriacè, nam audimus nos. Ierem.5. Cuius linguam ignorabis, & non audies, quid loquatur. Genes.2. Vt non audiat uir labium proximi sui, id est, non intelligat.

EXEMPLA VBI PROBARE, AMplecti, & obedire significat.

Iosu.1. Per omnia, sicut audiuimus Mosen, ità auscul-

auſcultabimus tibi. Iud. 2. Et non audiuiſtis uocem eius. Ibidem, Et etiam iudicibus ſuis obediuerunt. Matth. 17. Ipſum audite, id eſt, amplectimini eius doctrinam, & obedite ei. Lucæ. 11. Beati, qui audiunt uerbum Dei & cuſtodiunt illud, id eſt, intellectam doctrinam accipiunt, amplectuntur, & ab ea poſteà non deficiunt. Sic dicitur Deus audire, & auribus percipere noſtram precationem, inclinare aures ad noſtram precationem, Nam exaudire eſt, & accipere & probare petitionem.

Simili Hebraiſmo uidetur &, Guſtare mortem, dictum eſſe. Matt. 16. Iohan. 8. Luc. 9. Item guſtabit cœnam Lucæ. 14.

4.

Verba ſignificantia Iudicare, quæ multa ac uaria ſunt, ſimilter non ſolum pro ſignificationibus proprijs ponuntur, ſed etiam pro cõſequentibus, ut Schafat non ſolum cauſam cognoſcere, ſed etiam condemnare, & abſoluere ſignificat: Item exequi ſententiam iudicis, nempè caſtigare & liberare, ut Matth. 7. Nolite iudicare, ut non iudicemini. Vbi ſignificat condemnare, ſicut & Roma. 14. Si quis non manducat, manducantem non iudicet, id eſt, non condemnet. Iohan. 3. Qui credit in eum non iudicabitur, qui uerò non credit in eum, iam iudicatus eſt, id eſt, condemnatus. Ibidem: Hoc eſt iudicium &c. In qua uoce duplex Synecdoche eſt, primum ponitur cauſa pro effectu, id eſt, iudicium pro condemnatione, deindè contrà effectus pro cauſa, i. condemnatio pro culpa, ſenſus enim eſt, hæc eſt cauſa damnatiõis.

Pro Liberare in his exemplis ſumitur. 1. Samuel.

muel.18. bis ponitur, Iudicauit Dominus Dauidem ab hostibus suis. Psal.72. Iudicabit afflictos populi, & liberabit filios pauperum. Et Esa. 42. Iudicium gentibus proferet, id est, liberationem per Christum, sicut statim per sequentia explicat. Psal 35. Iudica me Domine secundum iustitiam tuam, id est, uindica. Roma.6. Qui mortuus est, iustificatus est à peccato, id est, liberatus, non amplius cogitur peccare.

In sequentibus pœnas, & castigationem sontium significat. Genes.15. Veruntamen gentem, quæ eos seruitute premet, ego iudico, id est, castigabo. Psal.35. Iudica cum litigatoribus meis, pugna cum oppugnantibus me. Psal.5. Haaschimē. Condemna eos Domine, deciduant à conatibus suis, secundum scelera ipsorum propelle eos, id est, perde eos Domine &c. Quod uerbum & Roma.8. uidetur à Paulo expressum his uerbis, de peccato condemnauit peccatum, id est, perdidit, aboleuit peccatum. Prouerb.19. Parata sunt derisoribus iudicia, id est, castigationes, Et tergo stultorum plagæ. Ezech.30. faciam iudicia in Aegypto, & scient, quoniam ego sum Dominus. Ierem 26. Iudicium mortis est uiro huic, id est, pœna capitali puniendus est. Roma. 2. Existimas quòd tu effugies iudicium, id est, castigationem Dei. Ibidem: In reuelatione iusti iudicij Dei. 1. Corinth. 2. Iudicium sibi manducat, & bibit, id est, castigationē. Heb. 13. Peccatores, & adulteros iudicabit Deus, i. puniet. Iudicare significat certò cōstituere seu pronūciare. 1. Corint. 5. Iam iudicaui eum, qui tale crimen patrauit &c. Item. Corint. 7.

5. Ista

5.

Ista quoq; sermonis figura ponitur Ira pro pœna, & castigatione, ut Mich. 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei &c. Ezech. 15. Faciam cessare indignationem meam. Roma. 2. Cumulas tibi iram in die iræ, id est, castigationem, pœnam in tempore pœnæ. Roma. 3. Nunquid iniustus Deus, qui reponit iram, id est, pœnam. Sic opinor & 4. capite intelligendum esse. Lex iram operatur, id est, castigationem, minatur, & infert pœnas. Roma. 13. Quare necesse est subditum esse, non solum propter iram, (id est, pœnam) sed etiam propter conscientiam. Eph. 6. Colos. 1. Venit ira Dei super filios inobedientiæ. Lucæ. 3. Quis uobis monstrauit fugere à uentura ira? Psal. 29. Effunde iram tuam super gentes, quæ te non nouerunt. Sophon: 2. Antequam ueniat super uos ira.

6.

Odi & Diligo, sæpe non tam animi affectus, quàm actiones affectum consequentes indicant. Diligere enim significat curare, defendere, seruare, Odisse uerò negligere, lædere. Atq; ità aliàs longius à causa in effectus prolabuntur hæ uoces, aliàs propinquiores effectus significant, siue adsit simul ipse adfectus, siue nõ. Vt Luce. 16. Aut enim alterum odio habebit, & alterum diliget, Videtur, per Odio habebit significari, negliget, ut ex sensu, & sequentibus uerbis inuersæ sententiæ intelligi potest. Affectus enim dilectionis etiam in plures extendi posset, Sed opera nõ potest. Prouer. 13. Qui parcit uirgæ, odit filium, id est, negligit, At diligens eum,

mature

matureè castigat ipsum, id est, qui rectè curam agit filij. Et Prouerb. 8. Qui odit sapientiam, amat mortem, id est, accersit sibi malum & mortem, etiamsi oderit illud. Iohan. 12. Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in uita æterna custodiet eam. Matth. 16. pro Amare ponitur uelle seruare, Qui uoluerit animam suam seruare. Significat igitur & in Christi dicto, Amare idem quod curare, Odisse idem quod negligere. Lucæ. 14. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, id est, non postponit patrem mihi, non ob me, cum res postulat, negligit.

In qua significatione & sensu etiam accipiendum opinor dictum, Esau odio habui, Iacob autem dilexi. Malach. 1. & Rom. 9. ut significet, in hac parte neglexi eum, quod ei primogenituram abstuli, quodq; eum, ac eius posteros seruituti Iacob addixi, non quod eum ex animo oderit, ac propterea in æternum condemnauerit, quandoquidem Esau Genes. 33. clara fraternæ dilectionis ac pietatis signa ostendit, undè Lutherus seruatum probat.

7.

Verbum Inuenire persæpè potiri ac consequi aliquid significat, non tantum Hebræa, sed & Græca consuetudine, ut inuenire gratiam, pro consequi. Sic manum alicuius inuenire, pro consequi, aut posse aliquid præstare. Psalm. 116. Dolores inferni inuenerunt me, id est, apprehenderunt, potiti sunt me, prævaluerunt mihi. Sic malum inuenit aliquem Genes. 44. Securis inuenit

aliquem

aliquem Deuter.19. Pe[illegible]ta inueniunt aliquem. Nume. 32. Roma.4. Quid inuenit pater uester Abraham secundum carnem? id est, quid consecutus est? Leuit.14. Quod si pauper ille fuerit & manus eius nõ poterit inuenire. i. præstare, sumat agnũ unum pro hostia delicti.

Nec multum ab hac significatione differet, cum sufficere significat, ut Nume.11. Num oues & boues mactabuntur eis, ut inueniatur eis? id est, sufficiat, Aut omnes pisces maris congregabuntur, ut inueniatur eis? Item accidere. Iosu.2. Narrauerunt omnia, quæ inuenerunt eos, id est, acciderunt.

8.

Econtrà Effectus pro causa creberrimè ponitur, ut cum dicitur, Deus robur nostrorum, salus nostra, fortitudo nostra. Ierem.16. Dominus fortitudo mea & robur meum, pro, dans robur, & fortitudinem, & similia. Psal. 118. Dominus fortitudo, & cantio nostra, pro faciens nos canere, dum dat occasiones gratiarum actioni per suas liberationes. Sic.1. Corinth.1. Christus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio, id est, dans nobis hæc omnia. Sic Dominus dicitur esse spes nostra. Psal.14. & 60. id est, dans ea quæ ab eo speramus, seu dans spem, & rem speratam. 1. Corint. 14. Loquitur ædificationem, id est sermonem ædificantem. Tale est etiam illud, Voluptatem narras &c.

9.

Pudefieri, Erubescere, Confundi, pro incidere in calamitates & magna damna, quod damna plærunq;

ignominia consequatur, ut Psalm. 31. Ne pudefiam ego Domine, quoniam inuocaui te, pudefiant impij.

Et contrà Lætari, Gaudere, Iubilare, pro liberari ponitur. Sic Lumen uultus, uel Illuminare uultum, pro hilaritate animi, aut fauore. Cadere facies, pro ira, aut dolore.

10.

Ponitur & in his exemplis effectus pro causa. Iohan. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Ihesum Christum, id est, hæc est uitæ causa. Item Iohan. 3. Hoc est iudicium quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, id est, hæc est causa iudicij, seu condemnationis. Esa. 28. Hæc est requies, reficite lassum, id est, hæc est causa requiei. 1. Corinth. 9. Quæ igitur est mihi merces, id est, quæ est causa mercedis, Quod potest hìc esse meum meritum? 1. Petri. 2. Hæc est gratia apud Deum, id est, causa gratiæ. Matth. 5. Quam mercedem habetis, id est, quodnam eximium meritum habetis, si ea tantũ facitis, quæ etiã mali faciunt. 1. Ioh. 5. Hæc est uictoria, quæ uincit mundũ, fides nostra. i. causa uictoriæ.

Hic contra causa pro effectu. 1. Corint. 14. Quandoquidem sectatores estis spirituum. i. donorum Spiritus. Amos. 3. Qui thesaurizabit iniuriam & uiolentiam in palatijs suis, id est, opes per iniuriam & uiolentiam partas. Romano. 11. Opus non esset opus, id est, meritum, seu debitum. Ponitur Opus pro merito operis, seu debito. Sensus enim est loci, si seruantur homines ex gratuito Dei fauore, non ergo ex merito co-

rum. Nam si ex merito eorum seruarentur, non seruarentur gratuitò. Meritum enim, seu debitũ & gratuitum inter se pugnant. Aut si omnino contendit aliquis seruari homines proprio merito, ergo non gratuito Dei fauore. Nam alioqui meritũ non uerè esset meritũ.

DE SYNECDOCHICIS QVIBVSDAM pœnitentiæ descriptionibus. Tractatus hic cum sequenti de ieiunio utiliter conferri potest.

Synecdoche quædam est Hebræis perusitata, qua tum partem, aut præcipuam, aut notißimam pro toto, tum effectum pro causa ponunt, ut Psalm. 112. Vir bonus miseretur, & dat mutuò, pro, omnibus beneficijs cumulat, omniq; ope egentes iuuat. Ibidem. A tristi fama non timebit. Psal. 113. Erigit de puluere pauperem. Genes. 3. Cum araueris terram, proferet tibi spinas, id est, ex optimis tuis laboribus sæpè peßimos fructus accipies. Sic Exitus & Introitus, pro omnibus actionibus atq; adeò tota uita, ponuntur.

Hæc Synecdoche in præceptis est usitatißima, ut honora parentes, id est, omnes superiores tuos. Item, Ne ponas offendiculũ antè cœcum, Per Cœcum omnes imbecilli intelliguntur, & per Offendiculum omne genus iniuriæ. Item, Si uideris asinum inimici tui sub onere collapsum, nè intermittas, quo minus ei opem feras, id est, sitis benefici etiam ergà inimicos. Item Prouerb. 10. Prudens filius in messe congregat, ignominiosus autem stertit, id est, prudens semper obseruat occasiones rei

benè agendæ. Synecdochica est & illa Epulonis descriptio Lucæ. 16. in qua per lautum & splendidum uestitum securitas, impœnitentia, & tota impietas notatur. Sic & postremi sæculi, prioris mundi, & Sodomitarum impœnitentia, ac securitas Lucæ. 17. indicatur per edere, bibere, emere, uendere, nubere, uxores ducere, plantare, ædificare. Per id genus Synecdoches persæpè scriptura etiam pœnitentiam, et totam uitam Deo placentem notat, Veluti si non solũ per bonos fructus, aut malos, bonam malamuè arborem cognoscere doceat, sed etiam per corticem, & folia. Ignotiora nimirum, uti bonum artificem decet, per notiora docendo. ut Leuit. 17. & 23. iubet Deus Israhelitas in festo expiationum affligere animas suas, seu ieiunare. Significat autem Affligere animã propriè seipsum aliquomodo cruciare, ut abstinentia cibi, aut incommodo uestitu, aut incendo in cinere, aut tali aliqua alia ratione.

Hæ afflictiones, ac ieiunia, cum sint tantum effectus, & signa mœsti animi, sicut & laceratio uestimentorum (quemadmodum id in phrasibus de ieiunio prolixius indicabimus) undecunq; demum ille mœror ueniat, sæpè tamen pro integra pœnitentia ponuntur (sicut contraria his afflictionibus poni pro impœnitentia paulo antè indicauimus) ut in prædictis locis Leuit. & Ionæ. 3. Vbi scriptum est, quod Niniuitæ induerint se saccis, id est, sordidioribus uestibus. Christus quoq; Matth. 11. & Lucæ. 10. Eodem modo de pœnitentia loquitur.

Verè autem agnitionis peccatorum per legis prædica-

prædicationem. Item, Fiduciæ in promißiones de Chriſto ſæpè nulla fit mentio in talibus locis, cum tamen eas præcipuè requirat Deus, ſicut Eſa. 58. reprehendit Iudæorum ieiunia, quòd tantum affligebant corpus, & incedebãt inclinato capite, tanquam debiles, & mœſti, cum Deus ab eis ueram potius cõuerſionem, & luctum animi requireret, hunc uerò externum corporis luctum tantum eatenus probaret, quatenus eſſet effectus, & conſequens ueræ contritionis. Sic eos reprehendit Propheta & 49. cap. quod ore quidem prope accedebant ad Deum, corde autem erant procul. Sic Ioelis. 2. iubet Propheta Iudæos cor ſcindere, & non ueſtimenta.

Synecdoche igitur quædam eſt in talibus pœnitentiæ deſcriptionibus, ſecundum quam Effectus pro cauſa, ueluti notum ſignum pro re ſignata ponitur. Nam per hæc externa doloris ſigna, uera in corde conuerſio indicatur. Et per hanc quaſi quandam corporis contritionem uera animi contritio.

Verum quoniam externa illa pœnitentia & mœſti animi ſigna ſimulare, & facilè eſt, & perſæpè lucroſum, rem autem ipſam pœnitẽtiæ præſtare perdifficile, ideò & Iudæi olim, & tempore Chriſti Phariſæi, & noſtro Monachi planè inania quædam externa ſigna & hypocritica, ſordidum uidelicet ueſtitum, inclinatum caput, & ſimilia pro re ipſa, id eſt, uera animi conuerſione, amplexi erant, quibus tantum ſimulabant dolorem, & pœnitentiam commiſſorum delictorum. Atq; id quidem in Papatu adeò inualuerat, ut uulgo

iam nihil aliud significaret Agere pœnitentiam, quàm corporeis, & externis quibusdam molestijs seipsos afflictare, Sicut et germanicũ Buſs magis significat externam quandã castigationẽ, quàm uerã animi cõuersionẽ.

Aliquando in eiusmodi pœnitentiæ descriptionibus paulo plures eius effectus adduntur, & præcipuè aliqua præcepta charitatis, ut Esa. 58. Remissionem debitorum præcipit Deus, & aliorum onerum, quibus pauperes grauabant. Item, Frangere esurienti panem, Excipere hospitio errantes, Tegere nudos.

Huic non admodum dissimilis est pœnitentiæ descriptio, quæ est Esa. 1. & Daniel. 4. Synecdochica est & illa pij hominis descriptio, quæ Psalm. 15. legitur. Qui ambulat integrè, quod iustum est, operatur &c. Item illa Mat. 25. Esuriui, et dedistis mihi potũ. Vbi per externos fructus, ueros atq; falsos Christianos distinguit.

Hæ, & similes sunt Synecdochicæ descriptiones pœnitentiæ, & piæ uitæ, à posteriori, seu ab effectu sumptæ. Ponuntur enim hæc notiora ob oculos, ut indè, quæ oculis minus cerni possunt, tcognoscãtur, ueluti si ex foliis, aut fructibus arborẽ cognoscere quispiam doceret.

Hanc rationem sermonis Monachi cum non agnoscerent, primum pœnitentiam (ut iam dictum est) in simulationem quandam mœroris, ac hypocriticas actiones transmutarunt, & totam pietatem tantum in externis quibusdam actionibus, & gestibus sitam esse existimarunt. Deindè quoniam erat adiuncta promissio de remissione peccatorum eiusmodi locis de pœnitentia

concio-

concionantibus, nec erat additum, quòd ea remißio ex merito Christi, non ex nostro contingeret, & quòd sit fide accipienda, nec cogitabant homines insulsi loca illa, cum alijs de gratuita remißione peccatorum per Christum, conferenda esse: Ideò homines inepti illam promißionem, non tanq̃ gratuitam remißionẽ peccatorum propter Christũ, fide accipiendã, sed tanq̃ præmiũ, seu mercedem illarũ suarũ nihili actionum intelligebant.

Exemplo rem declarabo. Esa. 1. Lauamini, mundi estote, auferte malitiam studiorum uestrorum à conspectu oculorum meorum, cessate malefacere, discite benefacere, quærite iudicium, eripite oppressum, ius dicite pupillo, & uiduæ. Adeste quæso, ut expostulemus, inquit Dominus. Si peccata uestra fuerint, ut Coccinum, niue albiora reddentur &c. Hic est concio pœnitentiæ, & promißio remißionis peccatorum, Sed quià nõ additur expreßè, quòd sit gratuita hæc promißio, & quod per meritum Christi contingat, ac sit fide accipienda, nec ueniebat in mentem Sophistis hunc locum conferre cum cap. 53. eiusdem Prophetæ, ubi scriptum est. Iniquitates nostras ipse tulit, & uulnere eius sanati sumus, ac cum alijs similibus sententijs de Christi merito, de gratuita remißione peccatorum, de fide accipiente has promißiones. Ideò actiones quæ proponuntur, ut per eas pœnitentia uera describatur, intelligebant esse integram impletionem legis diuinæ, iustitiam, ac meritum, Promißionẽ autem remißionis peccatorũ adiunctã iudicabant esse præmiũ, ac debitã remunerationẽ Dei pro illa iustitia.

Eadem ratione alios similes scripturæ locos de pœnitẽtia, ac Deo placente uita, horribiliter suis interpretationibus corruperunt. Si qui tamen eiusmodi locos intellexerunt de pœnitentia, nihilominus illa adiuncta opera putauerunt iræ Dei satisfacere, pro admissis peccatis, & non tantum asscripta esse, ut certius ueram pœnitentiam describerent.

Ex hac eadem Synecdoches inscitia ortus est & ille pestilens, & antiquus error, in quo & Chrysostomus fuit, quòd scilicet plures modi, remissionis peccatorũ cõsequendæ existimati sint esse, quia alias alijs suis fructibus, uel effectibus uera pœnitentia passim in sacris literis descripta est. Obseruanda igitur hæc forma sermonis est, ut eiusmodi locos rectius intelligere possimus.

Addamus autem & hanc sequentem Regulam, non omninò inutilem (ut spero) quandoquidem ex eadam sermonis figura oritur.

LAVdantur sæpè aliqua, aut uituperãtur in sacris literis, non quod sua natura bona malaue sint, sed quia malarum, aut bonarum rerum sunt effectus aut signa, ut Lucæ. 17. Improbatur bibere, comedere, uendere, emere, nubere, ducere uxores, plantare, ædificare, postremi seculi, Sodomitarum, ac prioris mundi, quæ tamen omnia à Deo instituta sunt. Et Lucæ. 16. Splendidus uestitus, ac uictus diuitis illius improbatur, Nõ quòd per sese mala sint, sed quòd nimium horum studium sit certum securitatis ac impœnitentiæ signum.

Sic Ierem. 36. reprehenditur rex Ioakim, quòd

non

non lacerauerit ueſtes ſuas, cũ audiret legi minas Dei in prophetia Ieremiæ. Hoc enim erat ſignum impœnitentiæ. Contrà probatur laceratio ueſtis à Ioſia facta. 2. Reg. 22. Et tuſio pectoris Publicani, & ſimilia. Quid erant ſigna intus uere fracti, ac cõtriti animi. Ea ratione & ieiunia alijq; omnes corporis cruciatus Deo probantur, quãdò nempè ſunt effectus cõtriti animi. Quandò uerò non ex contrito corde naturaliter profluunt, ſed ex uoluntate artificialiter, diſplicent Deo, tanquam res hypocritica, ut apparet Ier. 14. Eſa. 58. Zacha. 7.

Cauendum itaq; nè, cum hæc externa tantum eatenus probentur, quatenus ſunt ſigna pietatis, & nõ quod in ſe aliquam præſtantiã habeant, nos cum hypocritis, externa ſigna pro rebus ipſis, ueraq; pietate, amplectamur. ut Eſa. 58. Iudæi neglecta uera animi cõtritione, foris tantum corpus ieiunio cruciabant, & in curuiceruico capite pallidi, ut noſtri Monachi, incedebant. Item, ut ex Ioel. 1. apparet, lacerabant ueſtes & non cor, cum contrà potius faciendum fuiſſet, ut Propheta inquit. Lacerate corda ueſtra, & non ueſtes ueſtras. Et Eſa. 58. dicit Deus, uerum ieiunium, ac Deo placens eſſe, non externas afflictiones, ſed deſiſtere uexare proximum, ac incipere ei benefacere, id eſt, ueram cordis conuerſionem ad Deum.

Ac omninò ſemper hypocritæ tantũ externas quaſdam actiones cæremonias q;, ut geſtus, ueſtes, & ſimilia piorũ hominũ, ac ſanctorũ patrum, amplexi ſunt, quæ fuerũt tenuiſſima ſigna, ac ueluti umbræ quædã illorum uerè pij cordis.

Addemus & aliam regulam, etsi uideri potest in prima comprehensa, quòd non inutile esse existimemus, etiã separatim de hoc genere Synecdoches monere. Sæpè totius alicuius negocij unum tantum aliquod principale, uel notißimum caput nominant, per quod tamen etiam alia omnia ad illud pertinentia, nec non similia intelligunt, seu, per unam uocem non solum ipsam rem uoce significatam, sed etiam eius circumstantias, ac connexa intelligunt, ut Roma. 1. Euangelium est doctrina diuinitus per Prophetas tradita de filio Dei, id est, non solum de filio Dei, sed etiam de omnibus ei coniunctis dogmatibus. 1. Iohan. 2. Antichristus negat Iesum esse Christum, id est, officia Christi Domino Iesu non uere tribuit. Item, Antichristus negat Patrem & Filium, id est, quanquam ipsas personas utcunq; fatetur, tamen totam doctrinam de eis non comprobat, sed eam mutilat. 1. Corinth. 12. Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto, id est, non solum uoces has utcunq; sonare, sed etiam totam doctrinam de Domino Iesu ex animo agnoscere, & profiteri. 1. Corinth. 3. Fundamentum est Dominus Iesus, id est, omnes articuli fidei, seu tota doctrina de Christo.

Talia sunt & illa: Semen mulieris conteret caput serpentis Genes. 3. Terra proferet tibi spinas. Et Agnus Dei tollit peccata mundi, Nam per illa: Conteret caput serpẽtis, & tollit peccata mundi (quæ tamẽ in hoc negocio sunt præcipua) plurima intelliguntur.

Tali figura utitur Moses, Paulus, & reliqua

scriptura

scriptura uoce Mortis, et Vitæ, Significat enim eis Vita non tantum coniunctionem animæ cum corpore, Sed etiam omnia alia magna bona, et præcipuè illud summum, nempè æternam uitam, ut. Si quis fecerit ea, uiuet in eis. Et è contrà Mors, ut, Quacunq; die comederis, morte morieris, non tantum mortem ipsam ei minatur, sed & omnigenas calamitates, ac ipsam æternam mortem. Non enim est ea die mortuus corpore. Igitur est & alia quædã mors, qua est mortuus tunc Adam, nempè æterna mors, Quarè ex inscitia huius phrasis dixerunt quidam Mosen nihil de æterna uita, uel morte dixisse.

Cauendum itaq; nè sacrarum literarum Laconismum tam ieiunè intelligamus, ut sæpè somnolenter legentibus uidetur sonare.

QVAEDAM ALIAE REGVLAE, quæ ipsæ quoq; ad Synecdochen referri possunt.

Nomen generale uel speciale singularis numeri crebrò Hebræis pro plurali ponitur, ut Psal. 39. Vniuersa uanitas omnis homo, ideſt, omnes homines. Gal. 2. Non iustificatur homo. i. homines. Psal. 124. Cum exurrexit contrà nos homo. Sic in Exodo Locusta, Rana.

Construuntur quoq; sæpè generalia, & specialia nomina singularis numeri cum pluralibus, perindè ut collectiua per Syntheſin. Geneſ. 33. Et morientur omnis ouis. Geneſ. 1. Faciemus hominem, & imperent in pisces &c. Exod. 34. Et omnis sapiens corde inter uos ueniet, & facient omne, quod præcepit Deus. Esa. 3.

Impuden-

Impudenter agent, puer contrà senem, ignobilis contrà honoratum. Ibidem. 2. Homo fecerunt. 1. Timot. 2. Mulier seruabitur per procreationem liberorum, si manserint in fide, scilicet, Mulieres.

Econtrà aliquandò hæc eadem generum, & specierum nomina, in plurali numero pro singulari ponuntur. Vt Esa. 19. Tradam Aegyptum in manus Dominorum duri, & rex fortis dominabitur eis. Gene. 42. Locutus est uir Domini terræ uobiscum dura. Psal. 149. Lætetur Israhel in factoribus suis. Zacha. 11. Et pastores eorum non parcet eis, id est, Pastor. Esa. 42. Sic dicit Dominus creans cœlos, & extendentes eos, ideſt, extendens. Prouerb. 1. Sapientiæ clamabit & ædet uocem suam, id est, sapientia. Sic & in principio noni. Prouerb. 14. Sapientiæ mulierum ædificat domum. Ibidem, Stulti Ialix, id est, petulanter perpetrat peccatum. Ibidem, Et labia sapientum custodit eos.

Nec solum ponuntur pro singulari numero, sed etiam pro uno aliquo certo, incertè indicato, ut Matth. 12. In illo tempore profectus est Iesus per segetes Sabbatis, Discipuli autem eius esurientes cœperunt uellere spicas, id est, quodam Sabbato. Psalm. 1. Erit sicut arbor plantata ad riuos aquarum, id est, iuxtà aliquem riuum. Et Iud. 12. Sepultus est in urbibus Galead, id est, in una quadam ex illis. Zacha. 9. Sedens super asinum, & pullum filium asinorum, id est, unius alicuius asinæ. Genes. 37. Et iugulauit hædum caprarum.

Quinetiam ponuntur & collectiua nomina, & genera-

generalia in numero singulari pro uno aliquo certo individuo, ut. 2. Samuel. 14. Quarè cogitasti talia super populum Dei, id est, super Absolon. Et Genes. 20. Numquid gentem iustam interficies, id est, me Abimelech, ipsi enim soli in præcedētibus erat minatus Deus. Sic sæpè & Filius hominis accipitur de Ezechiele, aut Christo.

De familia tota, re familiari, ac etiam posteris, sic scriptura loquitur tanquam de uno hero, quià illa omnia ad constituendum herum requiruntur. Vt Aristoteles 1. Politicorum disserit, & quod author gentis, quasi superstes est in suis posteris, Item idem author lib. 2. de Anima cap. 4. docet. Vt Iosu. 9. Dixerunt uiri Israhel, fortasse in medio mei tui habitas. Genes. 34. inquit Iacob, Ego sum pauci numero, & congregabuntur contrà me, & interficient me. Exod. 10. Vt ponam signa in medio ipsius, intelligit Pharaonem, & per eum porro Aegyptum. Gene. 32. In baculo meo transiui Iordanem hunc, & nunc factus sum in duas turmas. Numer. 20. Sic loquitur frater tuus Israhel. Exod. 34. Sic Dominus cum Mose loquitur de præceptis suis, tanquam is sit totus populus. Atq; hæc est causa quarè posteri nomine suorum maiorum, in sacris literis notentur, ut Iacob, Israhel, Iuda &c.

Nomina latiora pro angustioribus ponuntur, siuè generalia pro specialibus. Ioel. 3. Act. 2. Effundam de Spiritu meo super omnem carnē, id est, super omnes gentes. Genes. 6. Omnis caro corruperat uiam suam. Esa. 66. Veniet omnis caro, ut adoret coram me, dicit

Dominus.

Dominus. Zacha. 2. Sileat omnis caro à facie Domini. Matth. 24. Marci. 13. Nisi fuissent abbreuiati dies illi, non fieret salua omnis caro. Lucæ. 3. Et uidebit omnis caro salutare Dei nostri. Marci. 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Romano. 13. Omnis anima potestatibus superioribus subiecta sit.

Verba quoq; generalia aliquoties pro specialioribus ponuntur, ut Leuit. 24. Locutus est Dominus, id est, præcepit. Sic in nouo Testamento sæpè Dicere, pro præcipere accipitur, ut Marci. 4. Lucæ. 4. Dic, ut lapides isti panes fiant. Domine, dic sorori meæ, ut me adiuuet. Roma. 12. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, id est, præcipio. Item, Præparauit. Genes. 18. Et festinauit ad faciendum uitulum. Ibidem, Vitulum quem fecerat, id est, præparauerat, uel coxerat.

E contrà quoq; sæpè specialiora pro generalioribus ponuntur, ut Dies pro mense, anno, et simpliciter pro tempore. Sic Pax pro bonis omnibus. Genes. 6. Delebo omnem hominem, quem creaui, per quem intelligit & alia uiuentia, ut posteà sequitur ab homine usq; ad animantia. Sic Vir sæpè utrunq; sexum significat. Vt beatus uir, qui timet. Sic Epha iustum, & iniustum sit, Leuit. 19. Omnes mensuras significat. Sic, Peregrinari, pro habitare. Esa. 28. Præ syncera stupent, id est, luxu. Sic Heri, & Nudius tertius, pro præterito tempore, Hodiè pro præsenti tempore. Deutero. 8. Hodiè transis Iordanem. Psal. 118. Hæc est dies, quam fecit Dominus. Cras pro futuro tempore Deut. 8. cum interro-

gauerit

gauerit te cras filius tuus. Geneſ. 3. Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea. Ioſu. 22. Nè cras negetis ad nos pertinere cultum Dei.

Tribuuntur ſæpè actiones cauſis minus proprijs, aut principalibus, ut Chriſtiani iudicabunt, & condemnabunt mundum. Daniel. 12. Et qui iuſtificabunt multos, ſicut ſtellæ firmamenti lucebunt. Matth. 10. Non ueni mittere pacem, ſed gladium, Veni enim ſeparare &c. 1. Corinth. 7. Quid ſcis mulier, ſi ſeruabis uirum?

Accidens rei ualdè proprium pro re ipſa ſæpè ponitur, Arida pro terrâ, Nemala, id eſt, inciſa pro formica. Iudicabit occulta hominum, id eſt, peccata hominum. Idem Pſalm. 90. Deſiderabilia pro theſauris. Leuana Luna ab albedine, Chama Sol ab æſtu, Sic Eſau, pro pulmento, Ruſum dicit.

ENALLAGE PARTIVM & modorum.

Vtuntur aduerbijs pro nominibus ſubſtantiuis & adiectiuis, ut Nume. 28. Holocauſtum Hatamid, Eſa. 2. Plus quàm orientales Mikedē, Item Leuad ſolus. Pſalm. 18. à ſplendore Negedo præſentiæ eius tranſierunt nubes. Sic & Olam aliàs nominis, aliàs aduerbij uim habet.

Et econtrà nomina ſubſtantiua, pro aduerbijs ponuntur, ut Deuter. 1. Et iudicabit iuſtitiam, id eſt, iuſtè inter uirum, & fratrem eius.

Nomen pro infinitiuo. Deute. Beſchimeath nos

eduxit

eduxit nos, id est, propter odisse. Item. 9. Vbeschineatho & propter odisse eum. Deutero. 7. Sed propter amorem Dominus uos Meahenah, id est, propter amare Dominum uos. Esa. 29. Fuit Iireathā timor eorum me, uel timere eorum me.

Imperatiuus pro futuro Indicatiui, seu pro particula Si, et pro futuro Coniunctiui ponitur, Vt destruite templum hoc, id est, destruetis, uel si destruxeritis. Huc pertinet illud dictum: Sponde, damnum præstò est. Ierem. 25. Et habitate super terram, id est, habitabitis. Ierem. 27. Inducite ceruicem uestram in iugum regis Babilonis, & seruite ei, & populo eius, & uiuite, id est, uiuetis. Psal. 37. Habita terram, et pasce fideliter, id est, habitabis terram, & enutrieris fideliter, constanter. Ibidem, Habita in sæculum, id est, habitabis. Virgilius. Si fœtura gregem suppleueris, aureus esto, idest, eris.

DE CONFVSIONE VOCVM in sermone.

Voces inter se iungendæ, nonnunquam aliter locatæ, aut longius à se mutuo remotæ sunt, quàm naturalis ordo modusq; postulare uidetur. Psal. 80. Propinastis nobis in lachrymis mensurā. 1. Samuel. 22. Qui quæret animā meā, quæret & tuam, pro qui quæret tuā animā, quæret & meam. Psal. 37. Melius est parum iusti, quàm opulentia impiorū multorum, pro quā multa opulētia, uel, ut alij, multo melius. Sic fortè et illud. Nonne uos pluris estis, quam multi passeres. i. multo pluris.

Hebræi sæpè uocem, quæ in prædicato collocari deberet,

deberet, ponunt in subiecto, & eam, quæ in subiecto ponenda esset, ponunt in prædicato: Vt oues meæ, uocem meam audiunt, pro, audientes meam uocem sunt meæ oues. Et Iohan. 14. Qui diligit me, seruat sermonem meum, pro seruans sermonem meum diligit me. 1. Corinth. 12. Nemo loquens bono spiritu, dicit Dominum Iesum Anathema, id est, qui dicit Christum Anathema, malo spiritu loquitur, Vel: Nemo dicens Dominum Iesum Anathema, loquitur bono spiritu. Amos. 9. Pertinget arans ad messorem & calcans botros ad trahentem semen, id est, messor pertinget usq; ad arantem. Amos. 5. Vocate agricolam ad luctum, & planctum ad scientes lamentum, id est, scientes lamentum ad planctum. In quibus alijsq; multis similibus, clarior erit sensus, si termini transponantur.

Multoties coniuncta aliquibus pro ipsis rebus ponunt, quo ueluti ex signo res signata intelligatur, quòd tamen plærunq;, uel cum Emphasi, uel cum singulari aliqua gratia fit. Vt Exod. 2. Apud Iudæos canis non mutiuit ab homine usq; ad iumentum, id est, omnia fuerunt tranquilissima. 1. Samuel. 25. Non relinquam mingentem ad parietem, id est, omnes trucidabo. Esa. 2. Ingredietur in cauernas petrarum. Esa. 3. Apprehẽdet uir fratrem suum, uestis est tibi, sis nobis princeps. Esa. 4. Apprehendent septem mulieres uirum unum, id est, talia erunt tempora, ut hæc benè accidere possint. Talis est locutio: Concident gladios in uomeres, & lanceas in falces, id est, imperium Christi non

regetur armis, nec indigebit his instrumentis bellicis.

Ex his Exemplis apparet Hebræos sæpè quædam ponere pro alijs adiunctis, nec est ad impletionem prophetiæ, ueritatisuè sermonis necesse accidere, aut esse ea ipsa, quæ ad uerbum dicuntur, Sed ea quæ per hæc indicantur. Prophetæ huiusmodi locutionibus refertissimi sunt, quas cum interdum Iudæi, & alij non intelligant, multum decipiuntur.

Viua uerba habet sacra scriptura, quæ gestum quendam in oculos incurrentem secum habent. Vt fermè Aristoteles de Homero dicit, libro Rhetoricorum 3. cap. 11. quod πρὸ ὀμμάτων ποιεῖ. Vt, cum Pudefieri, & Confundi ponitur, pro aduersa fortuna uti. Exultare, Canere, & Confiteri Domino, pro liberari. Lumen uultus, & Illuminari uultum, pro fauore. Ego dormiam, pro ero certus de Dei præsentia. At tu Domine es scutum circà me, gloria mea & exaltans caput meum, id est, eximius protector. Sic primo Psal. Abire, stare, sedere cum impijs, ideſt, participem esse scelerum ipsorum. Sic Psal. 85. Misericordia, & ueritas obuiauerunt. Iustitia, & pax se mutuò osculatæ sunt.

Multa nimium breuiter dicit, atq; ideò obscurè, quæ necesse est prolixiore sermone explicare. 1. Cor. 3. Vnicuiq;, ut Deus dedit &c. id est, unicuiq; tantũ credidistis, quantum & ipsis Dominus in docendo, & uobis in audiendo gratiæ largitus est.

Obscura est sæpè Hebræa oratio propterea, quod uerbũ tertiæ personæ sæpè non habet nominatiuum, sed

tum, sed aliquod nomen ex præcedentibus, prò nominatiuo intelligit, nec semper certum est, quod, cum plurium mentio facta sit. Ierem. 10. Nam lignum de silua excidit eum. Et eodem, Auro exornabit eum, clauis cõfirmabunt eum, id est, idolatræ, artifices. Ephe. 3. Quod per reuelationem notificauit mihi mysterium, scilicet Deus. Aliquando tamen præponunt Hu, uel V, uel H affixum, quæ tamen relatiua sunt generalia. Quarè in eiusmodi locis ex sententia, & contextu est iudicandum. 1. Reg. 10. Et egressus est ad eum (sup: Achabum Benhadad) & fecit (scilicet Achab) cum ascendere super currum, & (scilicet Benhadad) dixit ad eum, ciuitates, quas accepit pater meus à patre tuo, reddam, & plateas pone tibi in Damasco, sicut posuit pater meus in Samaria, & ego (scilicet Achab) in fœdere te dimittam. Genes. 14.

Idem incommodum & ex eo accidit, quod sæpè longius distat nominatiuus, quàm ut ad uerbum aliquod cõmodè subintelligi queat, ut, 2. Reg. 4. Et dixit, da populo, ut comedãt, Nominatiuus Eliśa lõgius abest.

DE VARIIS MODIS PROphetiarum.

Prophetiæ de Christo, ac omnino de rebus futuris, ut & rei ipsius natura postulat, & consuetudo Græci, latiniq; sermonis obtinuit, deberẽt proponi per futurũ indicatiui, idq; oratiõe propalàm, & nõ dissimulanter id agente, ut Genes. 49. Non discedet sceptrũ de Iuda, nec legislator &c. Deut. 18. Prophetam de medio

tui, deq; fratribus tuis, ſicuti me, excitabit tibi Dominus &c. Et Eſa. 2. Et erit in poſtremis diebus mons domus Domini &c. Sic Matth. 24. 25. Act. 21. 2. Theſſ. 2. 2. Timo. 3. 4. Verum apud Prophetas multum, in præterito proponuntur. Eſ. 51. Quoniam conſolatus eſt Dominus Sion etc. Eiuſdem. 60. Surge, exciteris, quoniã uenit lux tua, & gloria Domini ſuper te orta eſt.

Præterea prophetant Prophetæ in alia atq; alia forma orationis. Sæpè non præ ſe ferentes, tanquam aliquid ſint de futuro prædicturi, ac quaſi aliquid aliud agentes. Vt Pſalm. 2. Tanquam ſi obiurget quosdam impios, qui olim ueræ religioni reſtiterunt, prædicit in poſterum fore tales.

Sæpè in forma conſolationis, aut adhortationis, Vt Eſa. 52. Exciteris, exciteris, & induere fortitudine tua Sion. 54. Iubila ſterilis, quæ non peperiſti. Eiuſdem 55. O uos ſitientes, uenite omnes ad aquas.

Aliquando in forma precationis. Pſal. 22. Deus meus, Deus meus, quarè me dereliquiſti. Pſal. 79. 68. 69. Item gratiarum actionis, ut Pſal. 95. 97. 98. Obſeruandum quoq; in prophetijs res diuerſiſſimas ſimul, aut de diuerſiſſimis temporibus prædici. Eſa. 7. Matth. 24. Sæpè dum de alia re præſenti loqui uidetur typicôs de futuris aliquid ſignificat, ut Exod. 12. Nec os confringetis in eo, Dum uidetur eos docere modum edendi agni Paſchalis, prædicit formam paſſionis Chriſti. Sic Exod. 25. Vide, ut facias omnia ſecundum exemplar, quod oſtenſum eſt tibi, dum uidetur Deus inſtruere Moſen,

quæ

qua ratione debeat fabricare tabernaculum. Prædicit eum cultum esse umbram futurorum bonorum. Sic Oseæ.11. Ex Aegypto uocaui filium meum, in typo Israelis, prædicit Christum filium Dei, ex Aegypto reuocandum. Esa.7. Ecce uirgo concipiet, et pariet, Dum uidetur promittere aliquod miraculum, quo præsentes promissiones confirmet, aliud longè maius agit. Prædicit enim Christum nasciturum ex uirgine. Sic proponitur serpens æneus. Nume.21.

DE HEBRAICIS REPETITIONIBUS.

Etsi Græca & Latina lingua habent suas quoq; anadiploses, epanalepses, παναφορας, Synonymias, et expolitiones, aliasq; figuras, quibus alijs atq; alijs modis iterant uerba, & sententias. Tamen Hebræus sermo, longè eas in hac parte superat, cum frequentia iterationum, tum uarietate.

Est autem in his reduplicationibus, duplex præcipuè fraus cauenda, altera, ne, cum una sententia fuerit alijs atq; alijs modis repetita, plures esse, non unam existimemus, Altera uero, ne, cum aliæ atq; aliæ res in diuersis colis agentur, nos eandem agi putemus.

Variæ autē omnino repetitiōes sunt apud Hebræos, quæ cuipiā in his studijs parū uersato, ociosæ tautologiæ uideri possint, cum tamen non sint, Sed certa ratione, nonnunquam etiam eleganter in hoc sermone adhibeantur. Quas quò commodius agnoscere possimus, diuisionibus quibusdam à se mutuò separabimus, exemplisq; declarabimus.

Primum igitur aliæ sunt, quæ ijsdem uocibus orationem iterant, uel certè non multum uariatis, aliæ omninò diuersis.

Deindè iterationes, quæ ijsdem uocibus repetunt, aliàs in eodem commate unam, aut duas uoces repetunt, quæ posteà à nobis repetitiones significationis, seu Etymologicæ uocabuntur, ut Leuit. 6. Struet ligna sacerdos mane, mane. Leuit. 24. In die Sabbati &c. Idq; uel in eadem forma uocis, seu in eodem casu, ut in præcedenti exemplo, uel in diuerso, ut Sanctum sanctorum, Sabbatum sabbatorum, Comedendo comedet.

Aliàs integram orationem, uel in eodem colo, uel certè in propinquis. Atq; hæ Syntacticæ repetitiones posteà nominabuntur à nobis. Leuitici. 6. Ignis uero in altari accensus manebit, nec unquam extinguetur, sed singulis diebus, mane, mane accendet sacerdos in eo ligna, & ordinabit super ipsum holocaustum, adolebitq; super ipsum adipes sacrificiorum pacificorum, ignis semper succensus erit in altari, nec unquã extinguetur.

Cum autem integræ orationes repetuntur, aliàs ambæ illæ orationes repetitæ, absolutæ sunt, aliàs altera tantũ, & plærumq; posterior, ut in præcedenti exemplo bis perfecta oratione præcipit, Ignis semper accensus erit, nec unquam extinguetur. Hic autem tantum posterior, ut Gal. 2. Ab ijs uero, qui uidebantur esse aliquid, Mihi enim ij, qui uidebantur, nihil contulerunt.

Fiunt autem repetitiones propter multas causas, sed tamen nos tres quasdam generales ponemus.

Aliàs

Aliàs enim repetunt significationis gratia, quas Etymologicas docendi gratia nominabimus.

Aliàs quidem filo ac textura ipsa orationis coacti, ut posteà hoc magis declarabitur, quas Syntacticas repetitiones appellabimus.

Aliàs ornatus causa, quas fortasse Rhetoricas rectè appellabimus, de quorum singulis ordine dicemus, ac primum de repetitione Etymologica.

Significant igitur repetitiones, ut ex authoritate Patriarchæ Ioſephi ferè pronunciare poſſumus, certitudinem rei, ac uim, ſeu uehemẽtiam quandam, & , ut tertium addamus, diſtributionem. Atq; huc fermè pertinent repetitiones, quæ una duabusue uocibus repetitis conſtant.

Certitudinem in his exemplis ſignificant. Geneſ. 15. Sciendo ſcias, quod peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua, id eſt, certiſsimè ac indubitato ſcias. Geneſ. 18. Veniendo ueniam, id eſt, indubitatò ueniam. Sic amen amen repetitur.

Vehementiam & copiam quandam, ut in his ſequentibus. Deutero. 2. Per uiam, per uiam ibo, id eſt, tantum per uiam. Iud. 15. dicendo dixi, quod odiendo odiſſes eam. Geneſ. 16. Multiplicando multiplicabo ſemen tuum, id eſt, uehementiſsime augebo. Exod. 4. Nonne frater tuus loquendo loquetur, id eſt, planè expeditus & eloquens eſt. Geneſ. 14. Vallis Sidin putei putei, id eſt, omnia erant referta puteis in ea ualle, ſeu abundabat puteis. Nume. 3. Dati dati ipſi ei à filijs Iſ-

rael,id est,penitus dati,seu traditi. Genes.39. Et factum est,cum loqueretur ad Ioseph iom iom,id est, quotidie. Ierem.24. Ficus bonas bonas, id est, supra modum bonas. Sic in exemplo superius posito ex capite. 6. Leuit. uehementiæ cuiusdam gratia, bis repetitur præceptum de inextinguibili igne. Psal.115. Benedicet,benedicet,Sic etiam repetunt aduerbium, Valdè,valdè,idest, supra modum,Latini penè eodem modo augendi causa nomen eiusdem significationis uerbo addunt. Liuius occidit occidione. Repetitiones istæ certitudinem,uehementiamq; significantes aliquando etiam pluribus, ac diuersis uerbis fiunt,ut Psal.27. Expecta Dominum, confortetur,& confirmetur cor tuum,& expecta Dominum. Psal.94. Et in malitia eorum perdet eos,perdet eos Dominus Deus noster. Psal.5. Sermones meos audi Domine, intellige clamorem meũ, Intende ad uocem clamoris mei,Domine mane audi uocem meam.

Porro distributionem in his exemplis denotat. Genes.32. Et dedit in manus seruorum suorum greges, greges,id est,seorsim singulos greges. Nume.1. Vir,uir de tribu,id est,singuli uiri ex singulis tribubus. Exodi 26. Duæ bases sub tabula una, id est, duæ bases sub tabula una,id est,semper binæ bases sub tabulis singulis. Nume.2. Quasi itinere diei hinc,& quasi itinere diei illinc, id est, ex omnibus partibus unius diei itinere.

Huc addi & illud genus iterationis rectè potest,cum subiectum propositionis iterant, ut Genes.31. Filiæ,filiæ meæ sunt,filij, filij mei sunt, Et greges,greges mei.

ges mei. Vbi prius posita uox uidetur, quasi ostendere, aut definire subiectū, ac si diceret, Greges isti hìc præsentes, mei greges sunt, & non intrare in orationis cõstructionem, sed secundò demum repetita uox orationem inchoet, & sit subiectum, ut Linacer de uocatiuo disserit, quòd uocatiuus in orationem non intrat, sed tantum attentionem facit, ut Nume. 32. Et ecce locus, locus pecorum, posset fortè hæc repetitio etiam ad copulam referri. Sic numeri cardinales, pro distributiuis ponuntur, Genes. 7. Accipies septem, septem, id est, septena. Eodem, uenerunt duo duo, id est, bina.

Hactenus de Etymologicis, iam de Syntacticis iterationibus dicemus. Vsitatißimum est Hebræis, ut, cum alia forma orationis sententiam quampiam efferre incœperint, subito omissa illa nondum perfecta oratione, alia forma sermonis eandem sententiam efferant, ut Genes. 6. Et fecit Noah, iuxta omnia, quæ præcepit Deus ipsi, sic fecit. Paulus Gal. 2. Ab ijs uero, qui uidebantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest, personam hominis Deus non accipit. Iam deberet uerbum aliquod ponere, ut sententiam perficeret, ità fortè, Ab ijs uero, qui uidebantur esse aliquid, nihil didici, aut accepi. Quod ipse non facit, quia longius distaret uerbum à principio sententiæ, sed iterum eandem sententiam alia forma effert, Mihi enim ij, qui uidebantur, nihil contulerunt.

Nec tamen intermissa illa oratio semper penitus ociosa est. Nam habet Nominatiuum in se, quem illa

ſequens perſæpè, aut non habet, aut per pronomen relatiuum refert, ut in hoc primùm dato exemplo uidere eſt, quòd Noah nominatiuus ex priori oratione imperfecta repeti debeat. Aliquando etiam alia præter nominatiuum in priori illa mutila oratione ſunt, quæ ad ſequentis intellectum faciunt, ut Exod. 31. Nam omnis faciens opus in Sabbato, & excindetur anima illa de populo ipſius.

Fit autem hoc ſæpè nulla de cauſa, ſed tantum propter morem.

Aliquando uero propter iuſtam cauſam, quando ſcilicet nominatiuus, ſeu illud quidquid demum eſt, à quo ſententia inchoat, ità quaſi onuſtus eſt adiectis uocibus, ut iam non poßit ſatis commodè, ac perſpicuè cum ijs, quæ adhuc dicenda reſtant, contexi, ut Galat. 2. Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, ſcientes, quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, ſed tantum per fidem in Chriſtum. Iam deberet uerbum aliquod nominatiuo Nos addere, ſed quià nimis multa inter nominatiuum, & uerbum infarcta ſunt, ideò cogitur nominatiuum iterum repetere, & quaſi nouam orationem texere, Et nos in Chriſtum Ieſum credidimus. Ephe. 1. In quem & uos, audito ſermone ueritatis, & Euangelio ſalutis ueſtræ, in quem credidiſtis. Nec tamen illa priora ociosa ſunt, Continẽt enim amplificationem, Iudæi & non gentiles. Item cauſam credendi, Scientes, quòd nõ iuſtificatur &c. Sic & in alijs exẽplis plurimis.

Sæpè quoq; non ſolum perficiendæ ſententiæ gratia

gratia repetunt, sed ut etiam priora obscurius dicta nonnihil declarent, ut Genes. 15. Et dixit Abraham Domine quid dabis mihi? & ego incedo sterilis, & filius administrationis meæ domus, ipse Damascenus Eleazar. Deest uerbum Hæreditabit, quod priusq̃ addat, nouam orationis formam texit, in qua & addit uerbum, quod prius deerat, & totam sententiam dilucidius exponit. Et dixit Abraham, en mihi non dedisti semen, & ecce filius domus meæ ipse hæreditat me.

Sæpè igitur tantum nominatiuo posito statim aliam formam orationis inchoant, & nominatiuum per pronomen aliquod Relatiuum, aliàs in alio casu referunt, uel etiam tantum subintelligunt. Genes. 17. Sarai uxor tua, non uocabis Sarai nomen eius, sed Sara nomen eius. Exod. 16. Et filij Israel comederunt Manna annis 40. donec uenerunt ad terrã liberationis eorũ, Manna comederũt, donec uenerunt ad terminos terræ Canaan.

Aliquando uero posito nominatiuo & uerbo. Exod. 12. Et fecerunt omnes filij Israhel, sicut præcepit Dominus Mosi & Aharoni, sic fecerunt.

Aliquando etiam posito casu uerbum sequente, ut in superius dato exemplo, ex secundo ad Galatas, Ab ijs uero, qui uidebantur &c.

Aliàs uero alijs sententiæ partibus, Nec enim tantam uarietatem regulis complecti facilè possumus.

Persæpè propter paruum additamentum, quod ad sententiam perficiendam addendum erat, iterum omnia iam dicta repetunt, ut Leuit. 20. Vir, qui

adulte-

adulterium admiserit cum uxore, Vir, qui adulterium admiserit cum uxore socij sui, in quo exemplo tantum propter illud socij sui addendum omnia priora repetit. Cuiusmodi etiam est exemplũ præcedens de Manna, in quo propter additamentum Canaan fit iteratio.

Tales sunt uariæ iterationes, aliquando plus, aliquando minus addentes. ut Psal. 57. Mittet de cœlo, & liberabit me ab opprobrio exhaurientis me. Mittet Deus misericordiam suam, & ueritatem suam, & Psal. 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate.

Sæpè, cum iam rectè absoluta est oratio prior, tamen planè idem nonnihil clarius, aliquando etiam copiosius repetunt. Exod. 12. Mensis iste uobis caput mensium, primus ipse sit uobis mensium anni. Exod. 18. Quoniam solet uenire ad me populus, ut consulat Deum (repetit idem & clarius et copiosius) Cum fuerit eis aliqua causa, ueniunt ad me, & ego iudicabo inter uirum & socium eius. Iud. 7. Et dixit ad eos, à me aspicite, & sic facietis, Et ecce ego uenio ad finem castrorum, & erit, quemadmodum faciam, sic facite.

Omninò autem de omnibus istis reduplicationibus, quas Syntaxeos appellauimus, id dici potest, quod plærunq; est aliquid in utraq; oratione iterata, quod in altera non est, adeò, ut, si integram sententiam uelis colligere, illæ duæ tibi iungendæ sint, & ex illis duabus orationibus cogitatione una efficienda. Leuit. 27. Et erit æstimatio tua maris ab ætate 20. annorum, usq; ad ætatem an-

tem annorum.60.& erit æstimatio.50.Sicli argentei. Hæ duæ iteratæ orationes unam sententiam tantum efficiunt. Nam in priori est persona, cuius precium æstimatur, quæ in secunda non est. In secunda autem est quantitas precij, quæ in prima non est. Talis igitur una oratio ex duabus facienda est. Et erit æstimatio maris ab annis.20.usq; ad sexaginta Sicli.50.

Huic Syntactico repetitionum generi addatur & hæc species, quòd Hebræi, quæ una integra oratione absoluere possent, ea in duas uel tres partiuntur, ità tamen, ut semper aliqua ex prima oratione in sequentibus repetantur, ut Num.1. Istæ sunt summæ, quas recensuit Moses & Aharon, & principes Israhel.12. uiri, Singuli ex singulis tribubus, & fuerunt omnes summæ filiorum Israhel, iuxtà domos patrum ipsorum, ab annis 20. & supra, omnes, qui erant apti ad militiam Israhel, & fuerunt omnes summæ 603550. Quæ trid quasi diuersa cola, sic complecti fortè unico poterant. Census Israhelitarum maturæ ætatis à Mose, Aarone, & principibus Israheliticis, actus fuit 603550.

Causa, quare ità Hebræi diducunt unam oration em in plures, est ea quoq; fortassis præter aliàs, quod destituantur ea commoditate temporum, modorum, & coniunctionum, quam Latina, Græcaq; lingua habent. Atq; ideò tam longas sententias, in unam periodon aut colon, perindè ut illæ, concludere non possunt. Sed de hoc Syntactico repetitionum genere dicemus aliquid in regulis de cohærentia sententiarum Pauli. Hactenus de

repetitio-

repetitionibus Syntacticis dictum est, iam consequenter de Rhetoricis dicendum erit.

Tertium iterationũ genus, quod superius Rhetoricum uocauimus, est itidem multiplex. Fit enim aliàs ornatus gratia, Explet enim aurem integro sono repetito, quam alioquì natiua illa Hebræis breuitas explere non potuisset. Adhæc in eo sermone habent tales repetitiones sæpè gratas quasdam alluſiones, & etiam homioteleutha, quæ omnia ad efficiendam orationem numerosam faciunt. Vt Psal. 2. Dirumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, Sed in Hebræo repetitum in duobus Hemistichijs similiter desinens facit orationem gratiorem. Sequuntur similia exempla eodẽ Psalmo statim. Sedens in cœlis ridebit, Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo cõturbabit eos. Esa. 59. A principio aliquot, alibi in scriptura multæ tales repetitiões legũtur.

Aliàs uero expoliendæ, magisq; inculcandæ sententiæ gratia, in quo genere aliàs eadem sermonis forma, sed tamen mutatis uerbis, sensus repetitur. Vt; Psal. 37. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, liberabit eos ab impijs, & seruabit eos, quoniam speraverunt in eum. Psal. 6. Quoniam audiuit Dominus uocem fletus mei, audiuit Dominus precationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Aliàs, quod prius figuratè dixerunt, postea propriè repetunt, aut contrà. Psalm. 7. Ecce parturit uanitatem, & concipit laborem, & pariet mendacium.

Putеum

Puteum effodit, & excauauit eum, & incidet in foueam, quam fecit. Reuertatur labor in caput eius, & in uerticem eius uiolentia eius descendat.

Ad Rhetoricas repetitiones pertinet, quòd aliquando plura cõmata, aut etiam cola, uel uersus, aut incipiunt ab eadem uoce, aut, in quam prior desinit, ab ea sequens incipit. Psal. 67. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Benedicite Deum, Deum nostrum, Benedicite Deum, & timeant eum omnes fines terræ.* Psal. 145. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in ueritate.*

Congerie uerborum plurimum utuntur, qua uel rem eandem, uel etiam totam sententiam paulũ uariatis uerbis, rei inculcandæ gratia, sæpius repetunt, ut Exo. 14. *Et dixit, si audiendo audieris uocem Dei tui, & quod rectum est in oculis ipsius feceris, & auscultaueris præceptis eius, & custodieris omnia statuta eius, Omnem infirmitatem, quam posui in Aegypto, non ponam in te.* Deut. 13. *Post Deum uestrum ibitis, ipsum timebitis, præcepta eius obseruabitis, uoci eius obedietis, ipsum coletis, & ei adhærebitis.*

QVAEDAM REGVLAE DE ORDIne sententiarum Pauli, & aliorum Canonicorum scriptorum. I.

Partes sæpè, uel materia, forma, uel subiectum, unà cum toto ab Hebræis nominantur, ubi totum nominari satis fuerat, Vt, Non es minima in millibus Israhel, id est, in Israhele. Sic Num. 31. Præfecti millium exercitus

ercitus, præfecti ſuper mille, ſuper centum, id eſt, præfecti exercitus. Ioſuæ. 2. Exiccauit Dominus aquas maris rubri, id eſt, mare rubrum. Item, In ore uel acie gladij, ut Deut. 13. Percuties habitatores urbis in ore gladij, id eſt, gladio. 1. Samuel. 23. Nobe autem ciuitatem ſacerdotum percuſſit in ore gladij. Item, Geneſ. 17. Carnem præputij circumcidere, id eſt, præputium. Sic aues uel uolucres cœli, piſces maris, ligna ſyluæ, uox precationis, id eſt, precatio. Sic & Græci βίη ἥρακλείη. Euripid: in oreſte δέμας ἐρμιόνης. Pindarus, Genuit σθένος fortiter pugnantium filiorum. Atq; in hunc modum aliàs plures, aliàs pauciores non neceſſarias uoces, neceſſarijs ac principalibus admiſcent.

II.

Hinc fit, ut, quoniam Hebræi rem, quam una uoce erre poterant ſæpè ità περιφραστικῶς pluribus exponunt, & ſimul eius proprietates aliquas recenſent, Adhæc etiam nonnunquam ex alio in aliud labuntur, ut, inquam, eorum oratio, quià nimium eſt uerbis quaſi onuſta, tum turbata, tum obſcura ſit, & cum una ac ſimplex ſententia ſit, poſitq; uno colo comprehendi, ſæpè in duo, uel etiam plura diſtrahatur, ut Eph. 1. Prædeſtinati ſecundum propoſitum omnia agentis, ſecundum conſilium uoluntatis eius, pro, prædeſtinati diuinitus. Ibidem, Cum audiuiſſetis ſermonem ueritatis Euangelium ſalutis ueſtræ, pro cum audiuiſſetis Euangelium. 1. Corinth. 1. Eccleſiæ in Corintho, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, uocatis ſanctis, id eſt, chriſtianis Corinthijs. 1.

Corinth.

Corint. 5. Ego tanquam absens corpore & præsens spiritu, tanquam præsens iudicaui. i. ego iudicaui & statui.

III.

Perusitatum est Hebræis, cum uolunt aliquid explicatius efferre, idq; primò breuiter proposuerunt, ut subindè repetant aliqua ex illis, quæ primo proposuerunt, illisq; repetitis attexant ea, quæ adhuc dicenda restabant, ut Psal. 145. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus in ueritate. Nume. 1. Istæ sunt summæ, quas recensuit Moses & Aaron, ac principes Israhel, duodecim uiri, singuli ex singulis tribubus, & fuerunt omnes summæ filiorum Israhel, iuxtà domos patrum ipsorum ab annis 20. & suprà, omnes qui erant apti ad militiam, & fuerunt omnes summæ 603550. Et Rom. 3. repetitur iustitia Dei, ut præcedentibus quædam, quæ adhuc dicenda restabant, adiungerentur. Item paulò post, repetit Apostolus eadem de causa, Exhibitionem iustitiæ. Psal. 124. Nisi Dominus adfuisset nobis, dicat nunc Israhel, nisi Dominus adfuisset nobis, cum exurgeret contrà nos homo, tunc uiuos nos deuorassent. 2. Corinth. 12. Noui hominem in Christo ante annos 14. siuè in corpore, non noui, siuè extrà corpus, non noui, Deus nouit, raptum istum talem in tertium cœlum, & scio istum talem hominem, siuè in corpore, siuè extrà corpus, non noui, Deus nouit, quod raptus sit in paradisum, & audiuerit uerba, quæ non licet homini loqui.

IIII.

Est & hoc obseruandum in sacris literis, quod

sæpè, cum etiam integrè aliquid dictum est, tamen, si cohærentia illorum præcedentium cum sequentibus animaduerti non potest, siuè quia sunt ob uerborum & sensuum copiam turbatiora, siuè quia est aliqua digressiuncula interposita, quò posßit præcedentium, sequentiumq; cohærentia animaduerti, sæpè breuißimè repetuntur illa prius dicta, mutuatis etiã indè uerbis aliquibus, ut auditor facilius posßit cernere illa priora repeti. Vt Gene. 28. Vidit autem Esau, q; benedixit Isaac Iacob, & misit eũ in Mesopotamiã Syriæ, ut indè duceret uxorẽ, & quod post benedictionem præcepit ei, dicens, Non accipies uxorem de filiabus Canaan, & obediuit Iacob patri, & matri suæ, & iuit in Syriam. Repetit post multa uerba, ut addat sequentia: Et uidit Esau, quod malæ essent filiæ Canaan in oculis Isaac patris sui, & abijt Esau ad Ismahelem, & accepit Mahelath filiam Ismahelis. Item Roma. 1. Propterea tradidit eos Deus in cupiditates cordium &c. Repetit paulò post hæc eadem, quò posßit animaduerti cohærentia, quæ alioqui turbatur per interpositam, Qui immutauerunt &c. Repetit autem sic: Quarè tradidit eos Deus in passiones ignominiosas, Nam et mulieres eorũ immutauerũt &c.

V.

Cum orationem aliquam inchoant, sæpè admodum, uel multis uerbis illud principium onerant, uel etiam statim in aliquam coniunctam materiam delabuntur. Indè accidit, ut commodè illius principalis iam inchoatæ propositionis reliquam partem principio annectere

ctere non poßint. Coguntur igitur iterum nouam orationis formam texere, quò illam nondum abſolutam orationẽ uel totam repetant, uel certè perficiant, ità ut initium & ea, quæ in alia forma ſermonis adduntur, ſimul coniuncta unam principalem orationem abſoluant, etiamſi, quod ad uerba attinet, non ſatis rectè illa duo fruſtra cohærere poßint. Rectißimè autem ad Epanalepſen is Hebraiſmus refertur. Vt Ephe. 2. Et uos exiſtentes mortuos peccato, Primo ponit tantum accuſatiuum principalis propoſitionis, deindè delabitur ad alia, quibus ueluti explicare uult hunc accuſatiuũ, quorum tamen copia impedit, nè illa principalis & iam inchoata oratio commodè perfici poßit. Non enim poßet facilè agnoſcere auditor illas partes, tam procul à ſe mutuò per hæc interpoſita diſtractas, unam orationem efficere. Quarè poſt hanc illius principalis accuſatiui explicationem procul ab illo orationis principalis initio texit nouam formam orationis, ut ſententiã abſoluat his uerbis. Deus autẽ nos mortuos peccato cõuiuificauit.

Sic tertio cap: dicturus ſe orare pro Epheſiorum & aliorum gentilium in uera pietate profectu, primum hæc uerba ponit. Huius rei gratia, ego Paulus uinctus Ieſu Chriſti pro uobis gentibus: Deindè nondum addito uerbo, quid affirmet ſe facere aut pati, ſtatim digreditur ad occupationem obiectionis, cur ipſe potißimum pro Ethnicis ſit ſollicitus. Qua digreßione finita tandem reuertitur ad propoſitam orationem, & eam penè totam refingit. Huius rei gratia flecto genua

mea ad patrem &c. Non tamen apponit hic eas dictiones, quas in principio posuerat, nempè, Ego Paulus uinctus, & pro uobis Ethnicis. Itaq; qnanquam in sequenti repetitione plærunq; integram orationem repetat, illud tamen relictum in principio fragmentum non est omninò ociosum. Sed plurimum ad huius principalis secundo demum absolutæ orationis intellectum facit. Atq; hanc digressionem obseruare debemus, quia omnes uersores ideò locũ hunc malè uerterunt, quod non animaduerterũt, quæ uerba cõnectenda sint, et ubi sit digressio.

Galat. 2. Ab ijs uerò, qui uidebantur esse aliquid (digreditur) quales aliquandò fuerint, nihil mea interest, Personam hominis Deus non accipit. (Refingit totam orationem) Mihi enim illi, qui uidebantur nihil addiderunt. Sequitur & aliud exemplum ibidem statim, Sed contrà uidentes, quod mihi commissum sit Euangelium preputij, sicuti Petro circumcisionis (digreditur) Qui enim fuit efficax in Petro ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuit & in me inter gentes (Repetit) Et cum cognouissent gratiam datam mihi Iacobus, Cephas & Iohannes, qui uidebantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos inter gentes, ipsi uerò in circumcisionem &c. Tertium quoq; exemplum est eodem capite in his uerbis. Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, (digreditur) Quoniam scimus non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, (Repetit) Et nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, &

non

non ex operibus legis. In hoc exemplo repetit illud. Et nos, quoniam erat longius digressus ad illa. Quoniam scimus &c. Ratio autẽ, cur denuo refingant totam orationem, est, quod nequit oratio intelligi, nisi auditor principium simul & finem animo complecti possit. Quarè cum propter digressionem principium iam sit remotius, quàm ut eius possit auditor recordari, & cogitatione cum illis, quæ adhuc addenda restant, coniungere, necesse est totam orationem refingere.

Ob hanc eandem causam sæpè in eadem oratione aliquæ uoces repetuntur, ut, 1. Corinth. 5. Iam constitui, sicuti præsens, eum, qui sic hoc perpetrauit in nomine Domini congregatis uobis unà cum spiritu meo, cum potentia Domini nostri Iesu Christi tradere istum talem Sathanæ. Hic repetitur accusatiuus Istum, propter multa interposita, ut melius cohærentia cerni possit totius sententiæ. 1. Corinth. 7. Qui uero stat firmus in corde (interponit) non habens necessitatem, potestatem uerò habet de propria uoluntate (propter hæc interposita repetit uerbum) Et hoc statuit in corde suo seruare uirginem. Ephes. 1. In quem & uos audito sermone ueritatis, Euangelio salutis nostræ, in quem credidistis.

VI.

Frequenter Sanctus Paulus ex alio in aliud ità paulatim labitur, ut tamen nihil admodum extrà propositum tractet, sed omnia ad præsentem scopum plærunq; faciant, Quanquam aliquando etiam extrà rem hoc modo euagetur. Fit autem is lapsus plærunq; occa-

sionem ultimæ uocis, quæ fortè explicatione indiget. Ephe. 3. *Et erudire omnes, quæ sit communio mysterij, quod fuit absconditum à condito orbe in Deo, qui creauit omnia per Christum. Hìc propositio essentialis, quod Paulus debeat docere Christi mysterium, habet ultimam uocem mysterij, cui uoci noua, & quasi accidentaria propositio adhæret, quòd hoc mysterium fuerit absconditum à sæculis. Ea porrò rursus habet in fine uocem Deo, cui dictioni noua oratio adijcitur, quòd is Deus per Christum omnia condidit.* VII.

Tantoperè autem labuntur ex alio in aliud, ut sæpè ità labendo in eandem propositionem rei propriam, ex qua delapsi erant, reuertantur, & fiat quasi circulus quidam sensuum. Vt Eph. 3. *Siquidem audiuistis dispensationem gratiæ Dei datam mihi ergà uos, quòd secundum reuelationem notum fecit mihi mysteriũ &c. Post multa addit,* Per Euangelium, *cuius factus sum minister. Hìc principalis propositio erat, iussum se docere gentes* Euangelium, *ex ea per uarias propositiones labitur, donec tandem eodem reuertatur, cuius ego factus sum minister.*

Eadem ratione primo capite eiusdem Epistolæ à priori minore Euangelij *summa, ad maiorem delabitur. Item* Rom. 1. *Cum summa totius inscriptionis sit,* Paulus Apostolus Romanis salutem, *Primum à nomine suo labitur ad uocationis suæ discriptionem. Deindè ad definitionem* Euangelij. *Tertio ad definitionem Christi. Quarto demum relabitur ad suam uocationem. Atq;*

ità in-

ità integrum circulũ absoluit labendo, ex alio in aliud, donec iterum in eundum locum, ex quo delapsus erat, relabatur. Fiunt autem isti lapsus occasione alicuius uocis existentis in priori sententia, ac indigentis explicatione, ut in fine definitionis officij, & uocationis Pauli est uox Euangelium, definit igitur Euangelium, quid sit. Deindè in fine huius definitionis est uox filij Dei, Ideò porrò discribit filium Dei, & eius utranq; naturam. Postremò copulat filium Dei cum sua uocatione & officio, affirmans se ab hoc Dei filio factum Apostolum, Atq; ità salutationem porrò absoluit.

TYPVS SALVTATIONIS.



Talis circulus est et. 1. Corinth. 1. Nam à tertio Enthimemate confirmationis, Num in Pauli nomine estis baptizati? digreditur ad gratiarum actionem, quod non multos baptizauerit, & porrò ad enumerationem, quos baptizauerit, indè paulatim se conuertens ad propositum festinat affirmans se non esse missum ad baptizandum, sed Euangelizandum. Hinc demum integrè redit ad propositum, incipitq; quartum confirmationis argumentum, cum inquit, Non in sapientia sermonis, nè euacuetur crux Christi.

Μερισμῷ, id est, distributione plurimum utuntur Hebræi, etiam extrà contentionem. Qua figura quod prius in genere dictum est, posteà per singulas species, aut partes, uel declarandi, uel amplificandi causa, aut etiam propter solam consuetudinem linguæ partitum recensent. Psal. 115. Idola eorum aurum & argentum, & opera manuum hominis, os, oculi, nares, manus eis, & non &c. Deut. 7. Ne iungas affinitatē cū eis, filiam tuam nè des filio eius, & filiam eius nè accipias filio tuo. VIII.

Plurimum quoq; Hebræi tali quadā expolitione utūtur, in qua primū aliqd paucis uerbis dicitur, posteà uerò illud idē copiosius dilatatur, et explicatur. Differt autem hæc figura à Μερισμῷ in eo, quod hic non species alicuius generis, aut partes totius enumerentur, Sed res ipsa extenditur & euoluitur.

EXEMPLA SEQVVNTVR.

I. Romano. 1. Propositio. Quamobrem tradidit

eos

eos Deus in cupiditates ignominiosas. Expolitio propositionis, Nam & fœminæ illorum mutauerunt naturalem usum in eum, qui est præter naturã, similiterq; et nasculi relicto &c. recensetignominiosas cupiditates.

II. Ibidem Propositio. Et quemadmodum non probauerunt, ut Deum agnoscerent, ità tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent, quæ non conueniebat. Expolitio, Repletos omni iniustitia. &c.

III. Romano. 2. Propositio: Qui redditurus est unicuiq; iuxtà facta sua. Expolitio propositiõis. His quidem, qui perseuerantes in benefaciendo gloriam & honorem &c. His uerò, qui sunt contentiosi, & qui ueritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniustitiæ, uentura est indignatio, & ira &c.

IIII. Galat. 6. Propositio: Quicquid enim seminauerit, hoc & metet. Expolitio. Nam qui seminat in carnem suam, de carne sua metet corruptionem. Sed qui seminat in spiritum, de spiritu metet uitam æternam.

V. Corinth. 8. Propositio. Atqui esca nos non commendat Deo. Expolitio. Neq; enim, si comedamus, abundamus, neq;, si non comedamus, deficimus.

VI. 1. Corin. 1. Propos: Nonnè infatuauit Deus sapientiã mũdi huius? Expolitio propositiõis. Quoniã enim per sapientiam Dei nõ cognouit Deũ Mundus, uisum est Deo p stultitiam prædicationis saluos facere credentes.

VII. 1. Corinth. 3. Propositio. Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem. Explicatio. Nam Dei sumus collaboratores

&c. usq; ad, Sic tamen, tanquam per ignem.

VIII. 1. Corint. 6. Propositio. Omnes scitis, q; iniusti regnum Dei non possidebũt. Explicatio. Nolite errare, nec scortatores etc. usq; ad, Regnũ Dei nõ possidebunt.

IX. 1. Corinth. 7. Propositio. Vnumquenq;, ut uocauit Deus, ambulet. Explicatio. Seruus uocatus es? ne &c. usq; ad, Non circumcidatur.

IX.

Est uerò hæc ipsa forma sermonis aliàs eiusmodi, ut statim ab initio res in uno genere, uel toto proponatur, cuiusmodi sunt præcedentia exempla, Aliàs uerò tam illa propositio, quàm eius explicatio sit bimembris, seu duo quædam potißimum attingat, ut in his sequentibus exemplis, in quibus, quò melius cerni posint membra propositionis & expolitionis sibi mutuò correspondentia, similibus ea notulis signabimus.

EXEMPLA SEQVVNTVR.

I. Prouerb. 1. Propositio. α. fili mi, si lactauerint te peccatores. β. ne consentias. Explicatio propositionis. α. Si dixerint, i nobiscum, insidias struemus sanguini, absconditi latitabimus contrà insontem absq; causa, deuorabimus eos uiuos instar inferorum, & integros, ut qui descendunt in foueam omnis generis precioſas opes reperiemus, & implebimus domos nostras præda. Sortire tu nobiscum, unum erit omnibus nobis marsupium. β. Tu autem fili mi nè abeas cum eis in uiam, quin potius arceto pedem tuum ab illorum semita, pedes enim ipsorum ad malum currunt. Et festinant ad fundendum

sangui-

ſanguinem. Aiunt, quod ſicut auibus, quæ auolare poſſunt, fruſtra retia tendantur, ità ipſi quoq; latrocinandi gnari ſine ſuo periculo alios inuadant. Verum illi ſuomet ſanguini inſidiantur, & propriæ animæ laqueum abſcondunt. Ea eſt ratio omnium iniuſtum lucrum prædamq; quærentium. Nam ſui Domini uitam auaritia rapit. Hæc ideò prolixius addidi, quia nulla mihi uerſio in proximis lineis ſatisfacit.

II. Roma. 1. Propoſitio. Palàm fit enim ira Dei de cœlo aduerſus omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, qui α. ueritatem. β. in iniuſtitia detinent. Explicatio propoſitionis. α. Propterea, quòd id, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis patefecit: Siquidem, quæ ſunt inuiſibilia eius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipſaq; eius æterna potentia ac diuinitas. In hoc, ut ſint inexcuſabiles. β. Propterea, quòd cum Deum cognouerint, non ut Deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt, Sed fruſtrati ſunt per ſuas cogitationes, & obtenebratum eſt inſciens cor eorum.

III. Roma. 4. Propoſitio. α. Quia præter ſpem, β. in ſpem credidit ſe fore patrem multarum gentium, iuxtà id, quod dictum eſt: Sic erit ſemen tuum. Explicatio propoſitionis. α. Ac non infirmatus fide, haud conſiderauit ſuum ipſius corpus iam emortuum, cum centum ferè natus eſſet annos, nec emortuam uuluam Saræ. β. Verum ad promiſſionem Dei non hæſitabat ob incredulitatem, ſed robuſtus factus eſt fide,

IIII. Roma.

IIII. Roma.8.Propositio.α.Nulla igitur nunc est condemnatio his,qui insiti sunt Christo Iesu.β.qui non secundum càrnem uersantur,sed iuxta spiritum. Explicatio.α. Nam lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Etenim quod lex præstare non poterat ea parte, qua imbecillis erat per carnem,hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit,ac de peccato cõdemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis.β. qui non secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum, Nam qui carnales sunt,quæ carnis sunt curant, At qui spirituales, quæ spiritus sunt, nam affectus carnis mors &c.

V. Galat.2.Propositio.α.Cum autem uenisset Petrus Antiochiam. β. palàm illi restiti, eo quod reprehensus esset.Explicatio propositionis.α. Nam antequã uenissent quidam à Iacobo,unà cum gentilibus sumebat cibum,cum autem uenissent,subduxit ac separauit se ab illis,metuens eos,qui erant ex circuncisione. Ac simulabant unà cum illo cæteri quoq; Iudæi,adeò ut Barnabas simul adduceretur in illorum simulationem.β. Verum cum uidissem,quòd non recto pede incederent ad ueritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus, Si tu, cum sis Iudæus, gentiliter uiuis, ac non Iudaicè, cur gentes cogis Iudaizare?

VI. 1.Corinth.1.Propositio.α. Visum est Deo per stultitiam prædicationis. β. saluos facere credentes. Expolitio propositionis.α. Quandoquidem & Iudæi

signum

signum postulant, & Græci sapientiam quærunt, nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uerò stultitiam. ℘. Sed ijsdem uocatis Iudæis pariter & Græcis Christum Dei potentiam, ac Dei sapientiam.

VII. *1. Corinth. 8. De esu igitur eorum, quæ simulachris immolantur scimus. α. quod nullū est simulachrū in mundo & ℘. quod nullus Deus sit alius, nisi unus. Explicatio. α. Nam, etiamsi sunt, qui dicãtur dij, siue in cœlo, siuè in terra, quemadmodū sunt dij multi & domini multi. ℘. nobis tamen unus est Deus, qui est pater ille, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum &c.*

VIII. *1. Corinth. 12. Propositio. α. Quemadmodum enim corpus unum &c. ℘. sic & Christus. Explicatio α. Etenim corpus non est unum membrum &c. ℘. Vos autem estis corpus Christi &c.*

IX. *Psal. 51. Propos: α. Tibi peccator solum sum, & maleficus coram te. ℘. Vt cognoscatur tua iustitia in eo, quòd omnes accusas, & innocentia tua in eo, quòd omnes iudicas & condemnas. Explicatio α. Ecce enim adhuc in utero iniquus formatus sum, & peccatorem concepit me mater mea. ℘. Ecce enim tu uis homines tenere & confiteri illam abstrusam ueritatem & reconditam mundo sapientiam, quòd scilicet ipsi uerè sint miserrimi peccatores, tuq; solus sis iustus & iustificans, sicuti tu cum multis alijs modis, tum uerò præcipuè per tuum ministerium clara uoce clamas, & omnes iudicas.*

X. *Psal.*

X. Psal. 2. Propositio. α. Quarè gentes turmatim cum strepitu confluunt? β. Et meditantur, garriuntq; frustranea? Explicatio. α. Nam consistunt quidem reges terræ, & principes simul conspirant contrà Dominum, & Christum eius. β. Garriunt uerò stulta indignatione talia. Disrumpamus uincula eorum, et proijciamus à nobis iugum ipsorum.

X.

Sæpè econtrà post enumerationem aliquorum subijciunt generalia aliqua, quibus & iam enumerata, et si qua fortè adhuc eius generis restant ἐπιλογικῶς complectuntur. 1. Corinth. 4. Quoniam spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum, uos autem prudentes per Christum, nos imbecilles, uos autem ualidi, uos clari &c. Veluti excrementa mundi facti sumus omniũ reiectamentum ad hunc usq; diem. 1. Corinth. 3. Omnia namq; uestra sunt, siuè Paulus, siuè Apollos, siuè Cephas, siuè mundus, siuè uita &c, Omnia nanq; uestra sunt, uos autem Christi, Christus uerò Dei. 1. Corinth. 1. Videtis enim uocationem uestram fratres, quòd non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, Verum, quæ stulta erant secundũ mundum, elegit Deus &c. Et ea, quæ non erant, ut ea quæ sunt, obliteraret, ut nè gloriaretur ulla caro coram ipso. 1. Corinth. 7. Cæterum illud dico fratres, tempus contractum est. Superest, ut qui habent uxores, non habeant, & qui utuntur mundo, tanquam non utantur. Romano. 1. Et

quemada

quemadmodum non probauerunt, ut Deum agnoscerent, ità tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent, quæ non conueniebant, repleti omni iniustitia, fœtore, nersutia &c. non solum ea faciunt, uerum etiam assentiuntur ijs, qui faciunt. Romano. 12. Post longam præceptorum enumerationem addit, procurantes bona in conspectu omnium.

XI.

Sæpè Paulus ueluti exaudiens uarias impiorum obiectiones, & calumnias, dum undiquaq; uult se communire, plura in unum locum congerit. Atq; ità obscurat nonnihil textum, dum non relinquit singulas causæ partes suis locis integrè separatim tractandas, ut à principio 3. ad Ro.

XII.

Coniunctiones, & alia connectentia multum omittunt Hebræi, eòq; oratio ipsorum sæpè obscura est, quòd propositiones, quæ, uel conditionaliter, uel disiunctiuè, uel comparatiuè ponendæ essent, simpliciter ponuntur, tanquam simpliciter asserantur. Matth. 18. Domine quoties peccabit frater meus in me, & remittam ei? id est, si sæpius peccauerit, quoties remittere ei debeo? Non enim quærit, quoties frater sit peccaturus; sed, si peccauerit, quoties ei remittendum sit. Sic Matt. 17. Qui autem scandalizauerit unum ex his minimis in me credentibus, prodest ei, ut suspendatur mola asinaria ex collo eius &c. id est, satius esset cuiq; homini alligata mola asinaria in mare præcipitari, quàm scandalizare unum ex his minimis. Matth. 24. Cœlum & terra

terra transibunt, uerba autem mea non transibunt, id est, potius cœlum & terra interibunt, quam mea dicta. Psalm. 125. Circum Ierusalem sunt montes, & Dominus est in circuitu populi sui, id est, non aliter quàm urbs munita est undiq; asperitate montium, ità tuetur circumquaq; populum suum Deus.

XIII.

Cum in legendis grauioribus authoribus summa cura adhibenda sit, ut uideamus, in qua parte operis uersemur, quis sit principalis scopus eius loci, in quo uersamur, quomodo explicetur, ubi sit eius initiũ, ubi finis, perdifficile est hoc in Paulo efficere. Ità enim sensim & ucluti furtim ex alia materia in aliam serpit, ut difficillimum sit animaduertere, quando aliquam materiam inchoet, aut finiat.

Id autem accidit, quià non semper sic membra orationis secat, sicuti res ipsæ, uel sententiæ disiunctæ sunt. Sed sæpè in eodem membro fini præcedentium breuissimè sequentium initium, uel propositionem annectit. Vt. 1. Corint. 1. Non enim misit me Christus baptizare, sed Euangelizare, (Propositio sequentium breuiter præcedentibus alligata) non in sapienti sermone, nè euacuetur crux Christi. 1. Corinth. 3. Sed nè iam quidem potestis, adhuc enim carnales estis. 1. Corin. 12. Quemadmodum enim corpus est unum, & membra habet multa, omnia autem membra corporis unius cum sint, unum corpus sunt, Sic & Christus &c. In hoc exemplo, Sic et Christus, est propositio sequentium breuiter præcedenti-

cedentibus adiuncta, quam propositionem sequentia declarant & illustrant. Huc referri possunt exempla duo, ex Ga. 2. ubi non facilè diuinare est, quousq; se extendat sermo Pauli, ad Petrum habitus. Alterum ex Esa. 3. Vbi itidem obscurum est, ubi sermo seditiosorũ desinat.

XIIII.

In narrationibus sæpè nimis minutim singula narrant, cum satis esset aliqua tantum nominare, ex illis enim reliqua facilè intelligi possent. Ea figura, quanquã pleonasmo non admodum dissimilis est, tamen ad Leptologiam commodius refertur, quòd nimirum singula, & minutissima ociosius persequatur. Vt Genes. 20. Et misit Abimelech rex Gerar, & accepit Saram. Item, Et accepit Abimelech oues, boues, seruos, ancillas, & dedit Abrahæ. Genes. 21. Et iuit, & impleuit utrem, & dedit potum filio. Ibidem, Surge, tolle puerum, et manu tua eum apprehende. Deut. 2. Sæpius uertere faciem & proficisci. Sic in nouo Testamento accedere & loqui seu dicere. 2. Samuel. 12. Et surrexit de terra, & lauit & unxit se, & mutauit uestimenta, & intrauit in domum Domini, & adorauit, & uenit in domum suam, & petijt, & apposuerunt ei panem, & comedit, Sic leuare faciem, & uidere. 1. Samuel. 7.

XV.

Et econtrà sæpè mediæ aliquæ propositiones intermittuntur cõiunguntur q; longius inter se dissitæ, ex quibus tamen non difficulter media illa, quæ necessaria est ad sensuum cohærentiam inueniri potest. 1. Co-

rinth.5. Et non potius luxistis, ut tolleretur is, qui facinus hoc perpetrauit, id est, Cur non potius uehementer doluistis ob hoc tam turpe facinus, eoq; dolore moti, in hoc serio incubuistis, ut iste talis malus homo ex uestro cœtu eijceretur? 1. Corinth.11. Quod si quis uidetur contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, id est, Si quis est contentiosus, ac ista licita esse contendit, et uult omninó retinere suam consuetudinem, indulgeat sanè suæ libidini, Ego quidem expressum hac de re Dei mandatum non habeo, sed tamen meam & Ecclesiarũ Christi sententiam uobis indico. 12. Samuel.14. Quarè ueni ex Gessur? melius esset mihi adhuc ibi esse, & nunc uideam faciem regis. Post, Ibi esse, subintelligendum est, Si mihi regem alloqui n õlicet. Esa.3. Apprehendet uirum de tribu sua, uestis tibi &c. id est, & dicet uestis &c. 11. Corinth.14. Turpe enim est mulieribus in Ecclesia loqui, Aut à uobis sermo Dei exiuit? Subintelligitur autem, Aut, si omninò pertinaciter uestras prauas cõsuetudines tuemini, putatis nẽ quæso uos solos sapere?

XVI.

Hebræi sæpè non solum per alteram contrariam aliquid asseuerant, sed etiam per alteram in sensu contrariam destructam illud idem, siuè confirmandi, siuè declarandi gratia repetunt. Vt Genes.42. Emite nobis frumenta, ut uiuamus & non moriamur. Exod.9. Quæ deprehendentur in agro, nec erunt collecta sub tectum. Es.3. Peccatum suum indicarunt & non celarunt. Iohannis.1. Confessus est & non negauit, & confessus est.

Exod.

Exod.12. Omne fermentum non comedetis in omnibus habitaculis ueſtris, Infermentatum comedetis. Gal. 5. In libertate igitur, qua Chriſtus uos redemit, ſtate, & nè rurſus iugo ſeruitutis implicemini. Ibidem, Spiritu ambulate, & carnis concupiſcentiam nè perficiatis. Iud. 11. Et tantum illa unica, non erat ei uel filius, uel filia. Ierem. 20. Maledicta ſit dies, in qua natus ſum, & dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. Deut. 32. Populeſtulte & non ſapiens. 1. Corinth. 1. Vt idem dicatis omnes, & non ſint in uobis Schiſmata, ſed ſitis conſolidati in eadem mente. Iohannis. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo nihil factum eſt.

XVII.

Hæbræi plurimum non uariata ſententia mutant perſonas, numeros, tempora, & modos. Leuit. 25. Et cum uendideritis uenditionem proximo tuo, aut emeris à populari tuo. Gal. 4. Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra, clamantem Abba pater. Quarè non amplius es ſeruus, ſed filius. Gal. 6. Vos ſpirituales reſtituite talem, conſiderans, nè & tu tenteris. Pſalm. 2. Quarè fremuerunt gentes & populi meditabuntur inania? Amos. 9. Concidit eos in capite uniuerſos ipſos, & nouiſſimũ ipſorum occidam. Eſa. 2. Homo proiiciet idola, quæ fecerunt ſibi ad adorandum. Iob. 35. Clamabunt, eiulabunt, non dixit, ubi eſt Deus? 1. Corinth. 10. Ad non eſſe nos &c. neq; eſtote Idolatræ, neq; ſcortemur, neq; tentemus, neq; murmurate. Mich. 2. Ego adduco malum ſuper generationem hanc, & non amouebitis indè ceruices ueſtras.

XVIII.

Sæpè, cum obliquè lingua hæc alicuius sermonem incipit referre, subindè aliqua directè, tanquam si ille ipse iam coràm ea loquatur, recitat. Faciunt autem id ideò, ut illa iam ueluti coràm geri uideant, Vt Genes. 20. Nonnè ipse dixit mihi soror mea ipsa est, & ipsa quoq; dixit, frater meus ipse est, id est, dixit quòd sit soror ipsius, & quòd sit frater ipsius. Ierem. 2. Qui dicitis ligno, Deus meus es tu. 1. Reg. 1. Tu dixisti Domine mi Rex, quòd Solomon filius tuus regnabit post me.

XIX.

Hysterologia multum utuntur Hebræi, sæpè enim & narrando & aliàs, non satis suo ordine gesta recensent, priora posterius, & posteriora prius commemorantes, ut Iosu. 2. Prius narrat exploratores fune demissos per fenestram, postea colloquium eorum, & meretricis pertexit, quod ueriſimile est prius in ædibus habitũ fuisse, alioqui res facilè prodi potuisset, si ex fenestra clamasset. 1. Sam. 23. Acciditq; cũ fugeret Abiathar ad Dauidem in Ceila, ut & Ephod descenderet in manu eius. Commemorat fugam Abiathar cum Ephod, Quia postea narraturus est Dauidem consuluisse Deum per Ephod. Hanc porrò ipsam historiam de fuga Abiathar uidetur non satis suo loco posuisse. Ponit enim eam antè profectionem Dauid in Ceila, cum tamen hic textus dicat sacerdotem in Ceila ad Dauidem profugisse, nisi fortè propter cohærentiam huius historiæ cum cæde sacerdotum simul illa exposuerit. 1. Samuel. 25.

Et factum est, cum tonderet oues suas in Carmelo. Hæc sententia esset coniungenda cum illis aliquanto pòst sequentibus. Et audiuit Dauid &c. 1. Samuel. 6. Prius narrat currum, in quo uehebatur arca, concisum eoq; hostias oblatas, posteà dicit Leuitas deposuisse arcam ex curru. Item Esa. 38. Quod signum est, quòd ascensurus sim in domum Domini? Hoc dictum in fine totius capitis ponitur, cum uideatur ponendum antè septimũ uersiculum, sic enim ponitur. 2. Reg. 2. uersu. 8. Atq; hanc sententiam quidam non satis dextrè interpretati sunt ob hanc ipsam causam, quòd parum sit o loco recitatur. Sic etiam. 2. Paralip. 32. Quædam non satis ordine narrantur.

XX.

Queruntur sæpè quædam, quæ diuersis respondeant, magis linguæ consuetudine, quàm rei exprimendæ necessitate. Eædem enim res uel sanè admodum coniunctæ repetuntur. Roma. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Videndum autem in eiusmodi locis, nè res quoq; diuersas esse existimemus, cum eadem diuersis uerbis iterare audimus, ut non est diuersa salus à iustificatione. Ioel. 2. Ante eum ignis consumit, & post eum flamma adurit. Ioel. 3. Somnia somniabunt senes, & iuuenes uisiones uidebunt. Ioel. 4. Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit uocem suam. Esa. 2. De Sion egredietur lex & uerbum Domini de Ierusalem. De his repetitionibus superius dictum est prolixius.

XXI.

Duorum uerborum seu commatum comparatio-

onem per Potius seu Magis, & Quàm iungendam. Hebræi sæpè per alterius commatis affirmationem, & alterius negationem exprimunt, ut Ose. 6. Misericordiam uolo & non sacrificium, id est, longè magis uolo misericordiam, quàm sacrificium, Quod apparet ex illo statim sequenti. Et cognitionem Dei præ holocaustis. Matth. 24. Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt, id est, potius cœlum ac terra transibunt, quàm mea dicta. Item Psal. 34. Leones egebunt & esurient, Quærentes autem Dominum non destituentur ullo bono. Esa. 40. Iuuenes defatigabuntur & fessi erunt. Sperantes autem in Domino uires recipient. Ierem. 15. Ipsi ad te reuertentur, non tu reuerteris ad eos, id est, citius ipsi ad te reuertentur, quàm tu ad eos.

DE INTERROGATIONIBVS, & Responsionibus. I.

Consuetudo est Hebrææ linguæ, ut, habituro sermonem de re aliqua, studiosè quærant occasionem dicendi, atq; ideò statim à principio interrogent eos, cum quibus sunt locuturi, ut sic occasionem sermonis eliciant. Ierem. 1. Quid uides Ieremia? Iohan. 21. Diligis me Petre? Iohan. 4. Nonnè uos dicitis adhuc esse 4. menses usq; ad messem? Ibidem, Da mihi bibere. Amos. 8. Quid tu uides Amos?

II.

Responsiones, si ad Romanum morem exigè debeant, sæpè uidentur minus commodè interrogationi redditæ, quatenus ad uerba, tametsi rebus idoneæ

sunt.

sunt. Vt, Tu dixisti. Item, 2. Samuel. 9. Tunè es Ziba? qui ait, Seruus tuus &c. 2. Samu. 14. Loquatur quæso Dominus meus rex. Mar. 7. Quarè tui Apostoli illotis manibus comedunt? quia rectè prædixit Esaias de uobis Hypocritis.

DE SIMILITVDINIBVS.

I.

Similitudinibus Hebræi sæpè utuntur ità, ut eas à rebus, quæ tractantur non separent, sicut plærunq; Græci & Latini, Sed uel ità recto ordine recitant, non adhibentes applicationem, ac si pars reliquæ materiæ essent. Vt, An nescitis quòd parum fermenti totam massam fermentet? Item, Non oportet uinum nouum in ueteres utres imponi. Et omnes omninò parabolæ huc referri possunt.

II.

Vel sic simul miscent, ut nunc uocem ex similitudine mutuent, nunc propriam ipsi rei conuenientem ponant. Vt Gal. 6. Nam qui seminat in carnem suam, ex carne metet corruptionem. Hic ex similitudine sumptæ sunt uoces, Seminare in aliquid, Metere ex aliquo, rei uerò propriæ sunt Caro & Spiritus. Sic in sequentibus. Qui uerò seminant in spiritum, ex spiritu metent uitam æternam. Amos. 2. Perdidi fructum eius desuper, & radicem ab infrà.

III.

Non possunt autem facilè istiusmodi similitudines explicari, nisi separentur à rebus, & utrunq; membrum integrè ponatur. Vt, Sicut parum fermenti inte-

gram massam inficit, sic unus, aut alter scelestus sæpè integrum cœtum suo contagio corrumpit.

IIII.

Sæpè plures similitudines ordine coacceruantur declaratiõe, & applicatiõe omissa. Iere. 23. Quid tritico cum stramine? Nonne est uerbũ meũ ignis, & malleus. Amos. 3. Num ibunt duo simul sine pactione? Num Leo in saltu rugit, si non sit præda proposita? Num Catulus leonis uocem suam ædit de lustro suo, cum nihil prædæ cœpit, Num cadit quis in laqueum positum in terra, quem non posuerit auceps? Num laqueum de terra aufert, cum omninò nihil cœperit? Num clanget cornu in ciuitate, ut populus non paueat. Est nè malum aliquod in ciuitate, quod Dominus non fecerit?

Negatio, Nec, Non, & aliæ uoces semel positæ, sæpè in pluribus membris repetendæ sunt. Vt Genes. 19. Et nesciuit, cum iaceret, & surgeret, id est, neq; cum iaceret, neq; cum surgeret. Psal. 1. Ideò non resurgent impij in iudicio, & peccatores in congregatione iustorum, pro, Neq; peccatores. Et. 9. Non in seculum erit in obliuionem pauper, patientia pauperum peribit in sæculum, id est, non peribit. Prouerb. 9. Corripiens derisorem accipit sibi ignominiam, & arguens impium propter maculam eius, subaudi, Accipit sibi ignominiam. Et. 13. Filius sapiens eruditionem patris, & delusor non audiuit increpationem, id est, Filius sapiens audiuit eruditionem patris, & filius delusor non audiuit increpationem patris. Et. 14. Eruit animas testis ueritatis, & loquitur

loquitur mendacia doli, id est, testis doli. Hæc sunt diligenter animaduertenda, nè (ut plærisq; interpretibus usu uenit) affirmatiuam pro negatiua capiamus.

DE IEIVNIO, MATERIA HActenus parum liquidò explicata, uera disertatio.

MAgna fuit omnibus temporibus superstitio, & abusus ieiunij, aliarumq; coniunctarũ afflictionũ. Hoc uero tempore præter abusus maximæ sunt quoq; de hac materia cõtrouersiæ. Quarè iuuante Christo statui, quàm clarissime potero, & originem seu causam efficientem ieiuniorum, & tam ueram quàm falsam causam finalem, ad hæc & ipsam ieiuniorum formam, declarare. Quo facto phrases quoq; in sacris literis de Ieiunio loquentes, intelligibiliores nobis fient.

Vox ipsa etsi latina est, nam & Romani olim Cereri ieiunabant, ut Liuius lib: 6. deca: 4. testatur, Ac significat abstinere à cibo, aut certè longè partium eo uti, quàm corporis necessitas postulat, Tamen ab Hebræo fonte non incommodè (sicut & aliæ multæ) deduci potest. Nam apud Hebræos Iana affligere significat.

Appellant autem Hebræi Ieiunare affligere animam, ut est uidere Leuit. 23. Nec est ueri dissimile, cum sacrificia, ac multæ aliæ Cæremoniæ à Iudæis ad gentiles peruenerint, etiam uoces aliquas Religionis simul ad eas peruenisse. Quanquam, cum certum sit ex Hebræo sermone, omnes alias in linguarum diuisione profluxisse, quid absurdi fuerit Latinæ alicuius, seu Græ-

cæ uocis Etymologiã ex Hebræo fonte petiſſe? Sed de uoce non magnopere contendo, ſentiat quiſq; ut uult.

Eſt autem ieiunium in ſacris literis, non ſolum à cibo abſtinere, uel eo nimis parcè, ac non bono uti, Sed etiam multis alijs commodis corporis abſtinere, ut lotione, unctione, ueſtium mutatione, Muſica & ſimilibus, & incommoda ſibi accerſere. Seu, ut paulo clariùs dicamus & breuius, Ieiunare eſt & præcipuis commodis corporis abſtinere, & incommodis inſuper ſe afflictare, ut abſtinere à cibo, potu, ſomno, lotione, unctione, mutatione ueſtium, Muſica, & in uniuerſum omni hilaritate, ac omnibus recreationibus, præterea induere ſe ſordidis, & malis ueſtibus, quas illi ſaccos appellabant, iacere humi, in cinere, puluere, aut alioqui ſordido loco, ut ex Ionæ. 3. uidere licet, in Ieiunio Niniuitarum, &. 2. Samuel. 12. in Ieiunio Dauidis propter filiũ ægrotantis.

Non tamen fuit una certa forma illius Ieiunij, Erat enim quiddam ſpontaneũ & liberum, ideoq; haud dubiè alius alio modo inter ieiunandum ſeipſum cruciauit. Nondum enim fuit ieiunium ad certos dies alligatum, ſicut in papatu, præter dies expiationum, de quibus Leuitici 23. nec ad certos cibos. Vſi tamen ſunt (ut dictum eſt) non lautis. Nec erat præſcriptum tempus comedendi, plærunq; tamen ad ueſperam uſq; ieiunabant, ut ex Iud. 20. &. 2. Samuel. 1 liquet. Nec ieiunandi quidem tempus erat præfinitum, Ieiunabant enim aliàs una die, ut Iſraelitæ Iud. 20. aliàs 7. diebus, ut. 1. Samuel. ultimo ciues Iabes, aliàs incerto tempore, ut. 2. Sam. 12.

tam diu

non diu ieiunat Dauid, donec infans morbo cruciatur.

Non solum Iudæis autem is ieiunandi modus fuit, sed & alijs Asiaticis populis, ut apud Homerum in nouis ultimis libris Iliad. Priamus mortem Hectoris tali ieiunio, talibusq; cruciatibus luget, abstinet à cibo, sordidè se induit, iacet in stercore, Solatur autem eum Achilles ac hortatur, ut tandē comedat omissis illis cruciatibus, idq; exemplo Niobes, quæ, amissis omnibus liberis, post longā mediā seu ieiunū coacta est cibū sumere.

Nec rectè sentiunt mea sententia ij, qui dicunt antiquis nihil aliud fuisse ieiunium, quàm temperantem ac sobriam uitam. Ieiunauerunt enim quibusdam diebus Moses, Elias, Daniel, Christus, Apostoli, qui haud dubiè semper sobrie ac temperanter uixerunt. Quanquam facile est uidere ex 2. Samuel. 1. Daniel. 10. Ionæ. 3. Ieiunium longe durius quiddam, & tristius fuisse, quàm sit uita temperans ac sobria. Sed hæc de forma ieiunij, quæ tamen alijs causis explicatis erit notior.

DE CAVSA EFFICIENTE IEIVNII.

Iam de causa efficiente ieiunij dicemus. Naturæ omnibus animalibus insitum est, ut sint cupida, non solum uiuendi, sed etiam suauiter uiuendi, eaq; omnia solicitè procurent, quæ ad eiusmodi uitam conferunt, ut homines bonum ac suaue alimentum, uestes commodas, somnum, lotiones, unctiones, Musicen, aliaq; similia, quæ uel reficiunt, uel delectant corpus, & cōtraria fugiant.

Verum, cum in magnas tristicias, aut aliquos mœrores incidunt, homines uitam sibi ducunt acerbam,

& mortē

et mori cupiunt, ideoq; incipiunt negligere ea omnia, quæ ad uitam, præsertim illam suauiorem faciunt. Sæpè cum tristitia maior est, etiam incommoda quædam sibi ultro accersunt, cuiusmodi sunt percussiones pectoris, lacerationes faciei & comæ, qualia mulieres in funere maritorum, aut filiorum solent facere. Aliquando cum ingens est mœror, etiam mortem sibi consciscunt.

Atq; hinc est quod, prout uariè in animo affecti sumus, ità nos etiam foris aliter atq; aliter gerimus. Cum lætis aliquibus affectibus exultamus, cuiusmodi est gaudium, bona spes, amor, superbia, quæ habet perpetuum gaudium ex falsa propriæ excellentiæ opinione fluens, placent enim sibi magnopere superbi, tunc, quia hi affectus uita delectantur, frontem exporrigimus, lauamur, ungimur, splendidè induimur, suauissimas dapes quærimus, conuiuia instauramus, coronas sumimus, canimus, saltamus, ac in alijs huiusmodi lætis actionibus debacchamur.

Contrà, Cum tristibus affectibus cruciamur, cuiusmodi sunt dolor, odium, timor, deiectio animi, quæ tunc accidit præcipuè, cum nobis ipsis displicemus, tum, quia hi affectus uitam oderunt ac fugiunt, demittimus caput, intermittimus lotiones, unctiones, sordidè induimur, cibos aut omninò uitamus, aut certe partius & uiliores sumimus, Musicen, choreas, aliaq; omnia exhilarantia negligimus, lædentia uero aliqua, uel non admodum uitamus, uel etiam ultro accersimus.

Naturale igitur est, ut, cum lætitia exultamus,

uitam

uam hanc amenus, commodaq; eius, ac uoluptates studiosè consectemur, & uicissim in tristitia, uitam odio habeamus, ac non solum commoda, & uoluptates negligamus; Sed & incommoda ac acerba aliqua ultro nobis adsciscamus. Habet tamen & à consuetudine multum hæc res. Aliæ enim gentes aliter suam lætitiam, & tristitiã testantur, & qualitate & quantitate, quòd exemplis declararem, nisi & notum esset, & ego in præsentiarum breuitati studerem.

Est igitur Ieiunium in sacris literis quædã corporis afflictio, ac signum quoddam externum, & effectus animi intus mœrentis, seu luctus quidam externus, qui sponte quidem, sed tamen naturali quodam motu, mœrente corde suscipitur. Neq; multum interest, uel ad efficientem proximam, uel formalem causam Ieiunij, unde ille mœror ueniat. Iacob enim Genes. 37. hoc modo se afflixit propter amissum filium. Iabesithæ quoq; 1. Samuel. ultimo, & Dauid. 2. Samuel. 1. Ionathæ & totius exercitus cladem ieiunio lugent. Niniuitæ Ionæ. 3. & Israhelitæ Iud. 20. 1. Samuel. 7. & Achab. 1. Reg. 21. Ieiunio testantur dolorem admissorum peccatorum, offensi Dei, & timorem iræ Dei, ac pœnæ imminentis.

Est igitur Ieiunij causa efficiens planè naturalis, quanquam aliquo modo, & uoluntas, & consuetudo accedant, ut dictum est.

Sed difficile est nobis ostendere in his locis, quomodo ex animi affectibus tam diuersissimi motus foris existãt, & quomodo ista tanta corporis cruciatio ex

magna

magna tristitia, & quadam cordis prostratione oriri posit, propterea, quòd hic ista non perinde in usu esse conspiciantur, ut alibi. Nam istæ Septentrionales gentes, & affectibus minus acribus mouentur, præsertim tristibus, ut mœrore, tristitia, & similibus, & eos ipsos affectus, quos conceperunt, minus externis gestibus foris ostentant.

Si tamen diligenter exempla quæsierimus, facilè inuenientur, etiã in his regionibus, quæ ut nõ planè exprimant ea, quæ de Ieiunij luctu diximus, ità tamẽ nobis multum lucis ad intellectum huius rei adferant, ut cogitemus, uel parentes, qui amiserint charissimos liberos, uel amatorẽ, cui sit adempta spes potiundi ualdè adamata, uel auarum hominẽ, qui magnã uim pecuniæ amiserit, hos inquam, si intuiti fuerimus, animaduertemus illis, quàm diu in illo tristi mœrore & luctu detinentur, neq; cibum, neq; potum sapere, quin & lucem hanc Solis omnibus animalibus gratissimam, odisse & fugere.

Eiusmodi exempla si contemplati fuerimus, & credemus facilius & rectius intelligemus, quomodo ex magna animi tristitia, & ex quadam cordis fractione, contritione, humiliatione, & uelut prostratione tales Ieiunij excruciationes oriri possint & soleant. Atq; de causa efficiente Ieiunij hactenus dictum sit, iam de causa finali dicamus, ubi simul quoq; declarabimus, quatenus & præceptum Dei sit causa efficiens Ieiunij.

DE CAVSA FINALI IEIVNII.

De causa finali Ieiunij alij aliter sentiunt, nam Papistæ,

Pharisæi, & omninò omnes Hypocritæ existimant se illo opere, seu illa ipsa sui cruciatione mœreri favorem Dei, remissionem peccatorum, deniq; præsentia & futura bona, sicut nihil non mœretur Papistis regnum cœlorum, & quicquid ipsi uolunt. Sed refutantur à Deo Esa. 58. Nunquid hoc est ieiunium &c. Et ad Roma. 14. Regnum Dei non est cibus & potus. Et 1. Corinth. 8. Esca nos non commendat Deo.

Rursum multi alij, ijq; eruditi uiri existimant, iiunia & olim adhibita, & adhuc adhibenda esse ad hoc, ut corpus afflictum & debilitatum animæ magis pareat, aptiorq; ad orandum, ac omnes res diuinas homo Christianus esse possit. Horum sententiæ omninò reclamare nequaquam ausim, adferre tamen in medium rationes, quæ huic opinioni repugnant, & licet (ut opinor) & conscientia nostra illud postulare uidetur, Prius tamen perpendamus & examinemus eorum sententiam, ecquid ueritatis habere uideatur, deindè & contraria argumenta recitabimus.

Putant igitur illi corpus fame, frigore, & insomnia cruciatum, ad orandum ac res diuinas meditandum esse aptius, quã alioqui mediocriter curatũ. Quod qui fieri possit, fanè non satis uideo. Nam certũ est animam corpori esse coniunctissimã, eiusq; instrumentis adiutã plærasq; omnia sua opera efficere. Si igitur corpus male habebit, nec anima suis functionibus recte defungi poterit, quod facilè est uidere in ægrotis & senibus.

Imò studiosi homines in se id facillime animaduer-

maduertunt, qui si tres aut quatuor horas de necessaria dimensa sui somni subtraxerint, tota die ad studia erunt inepti. Deinde molestia illa corporis animi quoq; attentionem interturbat, & ad sui curam euocat, sicut uerissime Vlysses Odysse. 5. inquit, non esse aliud importunius uentre esuriente, qui etiã magnis curis occupatos sui meminisse necessitate quadã compellat, Sicut et Cato olim dixerat pro concione, uentrẽ auribus carere.

Sed nihil est necesse hoc tantorum uirorum authoritate probari, cum quotidiana experientia doceat præcipuè studiosos, qui magis in animi actionibus uersantur, uel leuissimas corporis molestias animi intentionem turbare, ut (utamur sane ridiculo exemplo) uel paruus pulex mordendo à meditatione intensa hominem reuocat, ac cogitationes perturbat.

Sic igitur sentio, & re ipsa experimur, corpus necessario cibo, potu, somno, tegmine, aliisq; necessariis rectissime curatum, quàm maximè tranquillum, compositum, ac sedatum fieri, eôq; optime animi actionibus famulari posse, & (ut ità dicã) uelle, Imo uero & exhilaratum aliquantulum corpus mediocri cibo, ac potu, reipsa experimur. & erga Deum, & erga homines melius nonnihil affectos nos reddere. Quarè & sacrificijs olim conuiuia ex institutione Dei coniungebantur, & decimas, aliaq; Deo dicata uolebat Deus ab Israheliticis coram suo tabernaculo comessantibus consumi. Haud dubiè ideo, ut exhilarati beneficia Dei magis perpenderent, & eo alacriores magisq; ex animo Deo

gratias

gratias agerent. Eadem quoq; causa est, cur in sacris rebus semper Musica in usu fuit.

Sed iam nostras rationes huic opinioni contrarias recitemus, Quarum prima sit, quòd hactenus ostendimus ieiunium naturale quiddam esse. Non igitur consultò propter alium aliquem finem suscipitur, sed ultro ex priori aliqua causa, ac naturaliter consequitur, nempè ex fractione seu contritione mœsti cordis.

Secunda est, quòd in ualde multis exemplis, (quarum quædam superius recitata sunt) uidere est ieiunia adhibita esse ob mœsticiam animi, propter præteritam, præsentem, aut certè imminentem calamitatem, ueluti luctum quendam, & non ob præparationem ad futuram orationem.

Tertia, non est ueriſimile Christum concessurum fuisse, ut Apostoli, ipso cum eis uersante, ieiunia negligerent, si essent tam utilia exercitia ad pietatem & orationem, ut isti sentire uidentur.

Quarta, ne Deus quidem ieiunia Iudæorum, reijceret Esa. 58. Si uere essent exercitia ad orationem aliasq; uirtutes præparantia.

Quinta, Christus ipse ieiunat, cuius corpus haud dubiè tali freno, & tali castigatione non indiguit, non enim lasciuiebat caro eius contra spiritum. Nõ igitur parabat se ille ieiunio ad orationem. Quare autem ieiunauerit posteà exponemus.

Sexta, Christus Matth. 9. & Daniel suæ Prophetiæ. 10. & Zach. 7. Definiunt ieiunium quòd sit luctus. Si

ctus. Si igitur his optimis doctoribus credere uoluerimus, statuemus ieiunium esse luctum quendam corporis, certo significantem intus lugere animum & cor, seu esse effectum, uel consequens, uel signum quoddam illius interioris luctus, Qui interior luctus naturaliter etiam foris in ipso corpore tristia quædam sui indicia, & lugubres gestus, ut superius dictum est, exhibet.

Hæc sunt argumenta satis, ut opinor, ualida, quibus ego prohibeor, quò minus in eam sententiam, quam paulo antè citaui, planè pedibus cõcedere queam, Sed potius credam ieiunium esse lugubres quasdam corporis cruciationes, sponte quidem, sed tamen naturali quodam animi mœrore impellente, susceptas.

Quid igitur, dicet aliquis, sunt ne ieiunia planè inutilia? Quarè ea tam sæpè cum precibus coniunguntur in sacris literis, si non sunt exercitia præparantia ad orationem? Item, quare tam sæpè pij homines in ueteri & nouo Testamento ieiunarunt? Et deniq;, quare ipse Deus ieiunia præcepit?

Respondeo, primum cum huiusmodi ieiuniorum afflictiones primo naturæ motu in magno animi mœrore suscipiantur, deinde etiam consuetudine, præsertim in orientalibus partibus confirmatæ fuerint, accidit, ut quandocunq; pij homines intus in animo lugerent, siuè propter peccatorum agnitionem, & iram Dei, siuè propter imminentem aliquam cladem, aut etiam nuper præteritam, uel propter quodcunq; demum grande malum, simul foris luxerint, seu ieiunarint, partim natura,

tura, partim etiam consuetudine ità postulante, ac hisce modis se afflixerint, de quibus dictum est, quiq; sub uoce ieiunij omnes comprehenduntur.

Deindè, quia unicum erat remedium illis tantis malis (quæcunq; demum illa erant, propter quæ lugebant, et mœrorem suum externis signis testabantur) Dei inuocatio, ideò semper huiusmodi afflictionibus ardentes orationes adiungebant, quibus flagitabant sibi peccata remitti, & pœnas imminentes seu præsentes auerti, eas uero, quæ iam inflictæ erant, sanari.

Vbi, ut et hoc simul moneamus, clare conspiciebantur duæ partes pœnitentiæ, nempè contritio & fides. Intus erat cor & animus cognitione suorum peccatorum, timore iræ Dei ac eius minarum fractus, contritus ac uerbo Dei penè interfectus, sicut 1. Samue. 25. de Nabal scribitur, Et mortuum est cor eius. Ea quasi mors animi & cordis simul se & in corpore extrinsecus per illos cruciatus, seu per illam uitæ fugam exercebat. Hæc erat prior pars pœnitentiæ, quasi quædam abiectio, prostratio & humiliatio sui coram Deo, seu totius hominis quasi per legem interfecti coram Deo proiectio. Sequebatur statim altera pars, nempè fides misericordiã Dei ardenter implorans, uiuificariq; se à Deo, ac quasi ex inferis reduci flagitans, quæ erat ardens inuocatio. Hinc est locutio illa, in cinere & cilitio, item ieiunio pœnitentiam agere.

Atq; hæc est ratio, cur ieiunium cum inuocatione tam sæpè in sacris literis cõiungatur. Ieiuniũ enim,

id est, illa quasi corporis contritio in talibus locis per Synecdochen cordis, animi atq; adeo totius hominis fractionem & contritionem ualdè significanter denotat. Nec enim nisi plane contritum, & fractum cor tam tristem luctum foris efficeret. Atq; ita idem ualet quod prior pars pœnitentiæ, precatio autem est fides misericordiam, & auxilium Dei expetens ac implorans, quæ est posterior pars pœnitentiæ. Quarè cum ieiunium cum precibus in sacris literis coniungitur, uera pœnitentia plærunq; denotatur. Sic Daniel cogitans ingentia peccata suæ gentis, atq; adeò sua, quòd ipse puer olim fuerat particeps illorum, & horribilem iram Dei contra Israhelitas, aliaq; prægrandia mala, quæ eorum peccata secuta erant, ingenti dolore afficitur, quo dolore ac timore Dei intus cor eius, ac animus frangitur, conteritur, ac uelut interficitur. Cor porrò intus mortuum foris quoq; in corpore tales actiones & gestus exprimit, quibus quasi uitam fugientis, ac morientis speciem quandam exhibet. Porrò in illa tam tristi quasi morte rursum se promißionibus Dei incipit erigere. Ità sequitur in eo altera pars pœnitentiæ, nempè fides Dei misericordiam ac opem ardenter flagitans. Atq; eadem est fermè ratio, et explicatio aliorũ locorũ, quibus in sacris literis pœnitẽtia per Ieiuniũ et orationẽ describitur.

Quatenus ergo Ieiunium est quasi effectus quidam, ac penè pars ueræ contritionis (quæ, si accedat fides, Deo probatur) Est enim quasi quædam corporis contritio, & quatenus per Synecdochen totam contritionem

tionem significat, ut in declaratione Synecdoches superius declaratum est, eatenus à Deo in populo Iudaico requirebatur, Deoq; placebat. Quod inde probari potest, quòd, cum ieiunia non erant naturalia, sed artificialia, id est, cum non procedebant ex interno dolore animi de peccatis admissis, & timore iræ, ac minarum Dei, seu non ex uera cordis contritione, reijciebantur à Deo, tanquam res hypocritica, quam plane Deus contemneret, ut Esa. 58. & Zacha. 7. & in alijs locis legitur.

Postulat autem Deus à Iudæis Esa. 58. charitatem pro Ieiunio, itidem per Synecdochen totam conuersionem significans & postulans, sed certiori nota. Nam uera charitas haud facilè alibi, præterquam in uerè conuersis pœnitentibusq; inuenitur.

Sed age conferamus hanc pœnitentiæ descriptionem cum descriptione impœnitentiæ, quò melius intelligamus, etiam ex contrario, per Ieiunia ueram cordis contritionem describi, & simul animaduertamus, quatenus Ieiunia Deo probentur.

Nec enim aliter placet Ieiunium recte ieiunantium Deo, quàm displicet diuitis illius, Lucæ. 16. luxus quotidianus in uictu & uestitu, & Hierosolymitarum. Esa. 22. conuiuia (qui deridentes conciones Prophetarum eos ad pœnitentiam & Ieiunia inuitantiũ, ac iram Dei minitantiũ dicebant, Comedamus & bibamus, cras moriemur) aut impiorum ante diluuium, ac Sodomitarũ ante exitium eorum, & totius orbis ante extremum aduentũ Christi comessatio, potatio, emptiones, uenditiões

ædificationes, plantationes, nuptiæ &c. ut est. 17. Lucæ. Nisi quod simul & intẽperantia ibi fortaße accedit.

Quemadmodum enim ille splendidus uestitus, & illa continua conuiuatio, aliarumq; rerum ad hanc uitam pertinentium nimis studiosa consectatio, significat intus esse animum impœnitentem, id est, lætum, nondum fractum, nec contritum minis legis Dei, non displicentem sibi propter admissa peccata, deniq; nullam aliam uitam quærentem uel credentem præter hanc præsentem: Ità Ieiunia pie ieiunantium significant intus esse animum pœnitentem, tristem, prostratum, fractum, & contritum minis diuinæ legis, sibiq; supra modum displicentem propter admissa peccata, & toties offensum Deum, deniq; fugientem tanquam peregrinum hanc uitam, futuram patriam quærentem, & cupientem liberari à corpore mortis huius, ac esse cum Christo.

Solebant autem olim pij homines sæpius ieiunare, quod subindè instaurabãt pœnitentiã, diligentius uitam suam excutiebãt, seq; ad uerã pietatẽ extimulabãt.

Nec erant tantum priuata Ieiunia, sed & publica, sicut in die expiationum à Deo mandata Leuit. 13. quò publicè instauraretur pœnitentia, & totius populi ad Deum conuersio, Nam per illa Ieiunia, seu per animarum, ut scriptura loquitur, afflictionem, synecdochikῶς tota pœnitentia significabatur, sicut in phrasibus de pœnitentia superius dictum est.

Quo quidem tempore & uerbum Dei diligentius prædicabatur, & frequentiores ad templum conueniebant,

ueniebant, ut Ierem. 26. cognosci potest, qui iubet librũ suum publicè in Ieiunio legi. Instaurabant tunc etiam externam disciplinam, inquirebant in blasphemos & propalàm flagitiosos, sicut ex. 1. Reg. 21. intelligi potest, Cum in Naboth inquirunt in Ieiunio, eumq; lapidibus obruunt, tanquam blasphemum. Sæpè etiam edicto magistratuum aut sacerdotum indicebatur eiusmodi Ieiuniũ, præsertim cum uel Prophetæ eis iratum Deũ significabant, uel calamitas aliqua imminere uidebatur.

Obijciat nobis fortè aliquis, si Ieiunium non parat ad orationem, nec est per se bonum opus, sed signum tantum quoddam & effectus mœsti, humiliati ac contriti cordis, cur igitur Christus ieiunat? qui tamen non habet peccata, propter quæ doleat, & Apostoli, Acto. 13. de quibus non legitur, quód tunc recenter magnum aliquod facinus admisissent, propter quod dolentes se Ieiunio cruciassent.

Huic respondebimus, Christum non ieiunasse, (sicut antè dictum est) ut se ad orationem præpararet, Cum caro eius spiritui non repugnauerit, nec tali castigatione eguerit, Sed planè propter eandem causam Christus ieiunauit, quam superius diximus ieiuniorum causam fuisse, nempè ingentem animi dolorem, seu contritionem cordis. Sciebat enim in se iam totius orbis peccata translata esse, debere se fieri, & iam esse maledictum legis, ac deniq; Deũ sibi iratũ habere, perindè, ac si ipsemet omnia orbis terrarũ scelera perpetrasset.

Videns igitur magnitudinem peccatorum, pro

quibus ſibi pœnæ luendæ erant, ac ingentẽ uim iræ Dei, cui ſatisfacere ipſum oportebat, incipit agere pœnitentiam, id eſt, abijcit ſe corã Deo intus in animo ſupplex, ac humiliat ſe adeò, ut tandem etiam extremum turpiſſimumq; ſupplicium ſubire non dedignetur. Animus autem intus ſic fractus, contritus & humiliatus, & coram Deo abiectus naturali quadã interiorum cũ externis cõiunctione ac ſympathia, tam triſtes geſtus & luctuoſos foris in corpore exhibet. Quibus haud dubiè adiungit ardentiſsimã miſericordiæ diuinæ implorationẽ.

Fecit autem hoc Chriſtus potiſsimum à principio ſui miniſterij, quod ſibi tunc præcipuè illud tam grande onus ſatisfaciendi pro peccatis humani generis imponebatur, & quod iam tunc oportebat cum incipere agere pœnitentiam, ac iram Dei portare. Quòd autẽ exijt in deſertũ, id ideò fecit (ſicut ſcriptũ eſt) ut tentaretur. Solitudo enim tentationibus et oratiõi eſt aptiſsima.

Nec multum diuerſa eſt ratio Apoſtolorum, & omnino omnium aliorum rectè ieiunia precibus adiungentium. Omnes enim in uniuerſum rectè orantes oportet accedere ad Deum, primum corde humiliato, id eſt, fracto, contrito ac ſuppliciter ſe coram Deo proijciente ac proſternente, tum propter ingentia ſua ſcelera, tum propter illam tantam maieſtatem, ad quam indigniſsimi accedunt. Deindè propter Chriſti unicum meritum miſericordiam Dei implorare, quicquid illi demum præterea petunt, Semper enim omnem aliam petitionem oportet præcedere, aut certe comitari petitionem

litionem remißionis peccatorum, ac diuini fauoris.

Quo quidem modo si animus affectus fuerit simile foris in corpore ieiunium & lugubres quasdam actiones exprimet. Sicut publicanus uerè pœnitens, stabat à longe tristis, & non audebat oculos in cœlum tollere, percutiebat pectus suum, quia sentiebat se esse miserrimum peccatorem, & non irrumpebat lætus audacter ad Deum, ac sua ibi merita decantabat, sicut Pharisæus securus & impœnitens. Est autem obiter & illud obseruandum, quòd illa ipsa Publicani pectoris uerberatio, & illud non audere oculos in cœlum attollere, sit species quædam huius Ieiunij.

Proindè quando in scripturis legimus simul Ieiunium, & orationem iunctim posita, ut Matth. 17. hoc genus dæmoniorum non eijcietur, nisi per orationem et ieiunium, & 1. Corinth. 7. &c. sciamus ibi significari seriam & ardentem precationem. Nempè in qua primum præcedat humiliatio cordis, ac fractio quædam contritioq; mentis nostræ orta, cum ex agnitione ingentium peccatorum, quæ perpetrauimus, timore Dei & minarum eius, tum ex cognitione illius tantæ maiestatis, quam indigni accedimus. Deindè uehemens cum fide propter meritum Christi petitio remißionis peccatorum. Postremo & seria, ac cum firma fide propter meritum Christi postulatio eius rei, quam præterea petere uolumus, exempli causa, si petatur, ut iste obsessus liberetur ab immundo spiritu, aut aliud quippiam. Sensus ergo est, hoc genus dæmoniorũ non eijcitur &c.

id est, non potest eijci, nisi p ardentem precationem, ex resipiscente & seriò pœnitente corde progredientem, sicut & iam pij dæmonia eijciunt, nec opinor alium modũ iam nobis restare communiter, Nam Papisticæ incantationes non temere suscipiendæ sunt.

Hæc tria inquam in talibus locis semper intelligenda sunt per ieiuniũ & orationẽ, siue sequatur ad illam primam partẽ nempè seriam cordis fractionẽ, contritionem, & supplicẽ coram Deo prostrationem, externa corporis cruciatio, siue non, Quæ tamen necessariò in magna contritione aliqua sequetur, Certè, si nihil aliud, existet tamen neglectio quædam, ac quoddam quasi tædium ac fastidium corporis, & uitæ huius.

Apud Iudæos olim eò uehementiores cruciationes plærunq; sequebantur, quòd iam cõsuetudine quoq; in illa gente tales luctus in magnis animi doloribus confirmati erant, sicut prius dictum est.

Hactenus exposuimus, quid sit Ieiuniũ, cur sæpè in sacris literis oratiõi cõiungatur, Item quare multi pij ieiunauerint, & quatenus ieiunium à Deo probetur. Ex his iam facilè est uidere, quatenus nos quoq; ad ieiunium obligemur, seu quatenus Deus à nobis ieiuniũ requirat.

Primum enim sciendũ est, cum ieiuniũ sit luctus quidam externus seu effectus & signum quoddã externum intus lugentis, fracti, contriti uereq; pœnitentis cordis, & Deus exigat, ut laceremus corda nostra, non uestes nostras, quod inquam haud dubiè, si rectè animi luctum, seu contritionem præstiterimus de peccatis admissis,

missis, Deus non magnopere exiget à nobis hunc externum corporis luctum, quem nè quidem à Iudæis valdè exigebat, ut intelligi potest ex Esaiæ capit. 58. & Micheæ cap. 6.

Deindè & illud scire debemus, esse quasdam peculiares consuetudines, & ritus apud quasdam gentes, quas Deus non perindè exigit ab alijs gentibus, ut ab illis ipsis, apud quos ille mos inoleuit. Vt apud Iudæos mos fuit, hospitibus aduenientibus lauare pedes, Quæ tamen consuetudo etiam certam causam habebat, est enim illa regio ob rariores pluuias pulueulenta, & præterea ibi nudis tibijs incedebant. Id officium scriptura maximopere probat, quare & Christus discipulis suis pedes lauare uoluit, & ipsos sibi mutuò idem facere iussit. Et Paulus 1. Timoth. 5. Illud tanquam certum indicium probæ uiduæ ponit, si sanctorum pedes lauit. A nobis non perindè id requiritur. Sic paulus inquit, nos talem consuetudinem non habemus.

Item Iudæis fuit consuetudo, in omni graui commotione animi, lacerare uestem à pectore, Quare laudat Deus Iosiam regem, ultimi Regum. 22. Quòd, cum audiuisset legi minas Dei, quibus in Deuteronomio minatur Deus Iudæis suam legem deserẽtibus, discideritueſtem à pectore, econtrà uituperat eius filiũ Iehoiakim & ipsius aulicos Ieremiæ. 36. Quòd, cum audiuissent legi in libris Ieremiæ minas Dei, non lacerauerint uestes à pectore. A nobis talem cæremoniam non requirit Deus, propterea, quòd in his gentibus in usu non est.

Item

Item Paulus. 1. Corinth. 2. omnino uult sexum muliebrem in templo caput uelare, In Germania uirgines non omninò uelant caput in Ecclesia, nec tamen propterea peccant, quia hic alia consuetudo est. Fuit item mos Iudæis, ut clara uoce lamentarentur uxores, liberi, matres, sorores &c. in funere suorum mortuorum, Tale charitatis pietatisq; opus Deus in gente illa probauit, à nobis uero id non exigit, quia hic talis mos non est.

Talis ferè est & ieiuniorum cæremonia, quia enim illi genti mos fuit in omni magno mœrore tales afflictiones adhibere, ideò probabat eas Deus, cum etiam in ea tristitia, quæ est secundum Deum, adhibebantur. Nobis cum non perindè sit mos in ullo animi mœrore tantas corporis cruciationes adhibere, ideò Deus eas non perindè in nostra pœnitentia, nec tantas exigit.

Postremo & ex ipso situ ac natura regionum harum duæ rationes nequaquã contemnendæ peti possunt, quare nos non perindè ad ieiunia obligemur, ac olim Iudæi. Quarũ altera est, quòd hic uentriculi propter circumstans frigus, & etiam ex ipsa gentis natura sunt calidiores, & propterea plus alimenti consumunt, & minus inediam ferre possunt. Altera est, quòd, cum frigus longe plus affligat ieiunos, quàm saturos, si quis se hic media multum macerare uellet, haud dubiè in istis tantis frigoribus, aut omnino extingueretur, aut certè in aliquem grauissimum morbum incideret.

Hæ sunt causæ, quare Deus à nobis non perindè exigat ieiunia, sicut à Iudæis. Sed cor tamen uerè fractum

ctum, contritum, & proſtratum ex agnitione ſuorum peccatorum, & iræ Dei ultro tales aliquos triſtes & lugubres geſtus foras expromet. Qui qualeſcũq; erunt, ſi modo naturaliter ex illo fracto & cõtrito corde prouenerint, & non artificialiter ex hypocriſi, haud dubiè grati erunt Deo, ſicut. 2. Reg. 22. probatur Deo laceratio ueſtis à Ioſia facta, propter minas legis diuinæ. Et Pſal. 56. inquit, Collige lachrymas meas in utrem tuum, certe tu eas in libro tuo annotas. Imò & impij Achabi probat Deus aliquo modo lugubre ieiunium. Is enim, ut habetur. 1. Reg. 12. grauiſſimis Dei minis per Heliam quaſi protelatus, primum haud dubiè intus fractus proſtratus ac contritus cœpit lugere, deindè etiam foris in corpore. Surgit enim de ſolio regali, lacerat à ſe purpuram, induit ſe ſacco, cubat humi in ſacco, atq; ità ieiunat, pbaturq; id Deo, quòd non ſuperbè contempſerit minas Dei, ſed pterrefactus ſupplicẽ ſe corã Deo pſtrauerit, ac ideò pmittit Deus ſe pœnas eius dilaturũ eſſe.

Ne nos quidem erraremus meâ ſententiâ, ſi, præſertim cũ aliquæ Hæreſes in Eccleſia oriuntur, aut cum magna aliqua calamitas imminet, qualis iam Eccleſiam penè oppreßit, multum etiam de licitâ læticiâ liciſq; uoluptatibus communiter remitteremus, & itidem priuatim, cum aliqua priuata calamitas nobis impendere uidetur. Atq; hæc de ieiunio ſeu de iſta lugubri corporis excruciatione diximus, & non de temperantia ſeu ſobrietate, quam ſuperius diximus eſſe quiddam longe diuerſißimum à ieiunio. Nec enim dubium cuiquam eſt,

quin

quin Christiani semper teneantur sobriè & temperanter uiuere, non tantum certo tempore, ut docet Paulus 1. Thessa. 5. Tit. 2. & 1. Pet. 5.

Absoluto iam toto fermè negocio, age etiam species ieiunij enumeremus. Ieiunium aliàs in propria significatione accipitur, aliàs in figurata. Figurata est triplex, Primum enim per Synecdochen totam pœnitentiam, uel certè ipsam contritionem significat, ut Leuiti. 23. legitur, Affligetis animas uestras in die expiationum. Ibi Affligere animam significat totam pœnitentiam. Daniel 9. & 10. significat totam contritionem. Cum enim Daniel dicit se ieiunasse, non solum significat se externis afflictionibus corpus suum macerasse, sed & intus uerè contritum fuisse, ueros & grauissimos dolores habuisse, de tam horrendis idolatrijs, quibus Iudæi Deum offenderant. Quod ex eius precatione facillimè intelligi potest.

Deindè per Synecdochen simul & Catachresin significat totam crucem, atq; adeò omnes calamitates & labores, quos pij homines in hac uita tolerare coguntur, uicinitate quadam significationis, quia omnia ista sunt luctus quidam, in qua significatione uox hæc posita uidetur Matth. 9. Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt, q: d: tunc habebũt, quod lugeant, tunc & diabolus & mundus omnes suas machinas ad eos oppugnandos, & perdendos adhibebunt.

Postremo per allegoriam significare potest uitæ innocentiam, Quod tamen ieiunium, non tam in

sacris

sacris literis, quàm apud patres, inuenitur, ut apud Chrysostomum Homilia 9. super Genesin, & apud Augustinum super Iohannem. Qui, cum uiderent multum in sacris literis ieiuniorum mentionem fieri, nec tamen intelligerent, quid nam ieiunia ad pietatem tantopere facerent, libenter ea ad abstinentiam uitiorum transferebant, freti etiam 58. cap. Esaiæ, non satis (ut arbitror) intellecto. Non enim Esaias ibi Allegoricum ieiunium pro uero requirit, sed eandem ueram animi cõtritionem, atq; adeò totam pœnitentiam, quam anteà Deus per ieiunium significauerat per charitatem, certiorem nimirum notam indicatam, flagitat.

Cum in propria significatione accipitur ieiunium, & significat illos tales corporis cruciatus, de quibus superius dictum est, rectè diuidi potest in Prophanum & Religiosum ieiunium.

Prophanum est, quod uenit ex aliqua tristitia, quæ est (ut cum scriptura loquar) secundum mundũ, id est, ex aliquo animi mœrore, quo affecti sumus propter magna aliqua mala extra religionem. Potest & hoc Prophanum ieiunium rursus in tres species subdiuidi. Aliàs enim dolemus iam acceptum damnum, Hoc modo ieiunat Iacob propter amißum filium, Et Priamus ob mortem Hectoris, & Iabeßitæ propter mortem Saulis, qui de eis optimè fuerat meritus. Aliàs de præsenti malo, ut dolet Dauid filiũ ægrotare, quanquam etiam simul sua peccata luget. Aliàs de futuro, quemadmodum fermè Achab dici potest doluisse & luxisse

luxiſſe ob imminentem calamitatẽ magis, quàm ob pietatem. Ad eiuſmodi ieiunium muitat Ieremias reginam Ieruſolimitanam cap. 13. & Moabitas cap. 48.

Cæterum religioſum ieiunium appellamus, quod ad religionem ac cultum Dei pertinet. Recte autem diuidi poteſt in Pium & Hypocriticũ. Pium (de quo præcipuè diſputauimus tota hac tractatione) eſt afflictio corporis ex dolore animi fracti, contriti & mœrentis propter admiſſa peccata, & Deũ offenſum: Quã ſequitur fides remiſſionẽ peccatorũ poſtulãs. Eius ſpecies eſſe poſſunt ieiuniũ miraculoſum, & poßibile ſeu naturale.

Miraculoſum eſt, quod humanæ naturæ ſine ſingulari ope Dei eſt impoßibile, quale fuit ieiunium Moſi Exod. 34. Deut. 9. Eliæ. 1. Reg. 14. Chriſti Matth. 4.

Poßibile ſeu naturale ieiunium appellamus id, quod hũanis uiribus aliquãdiu præſtari poteſt. Hoc autẽ rurſum ſubdiuidatur, ſi libet, in Intenſius et Remißius.

Intenſius eſt tanta corporis afflictio, quantam homo naturaliter diu perferre non poteſt. Qualia fuerunt plærunq; apud pios Iudæos ieiunia, ac de quibus ſuperius præcipuè diſputauimus.

Remißius ieiunium uocamus id, quod idem eſt ac nimia quædam temperantia & ſobrietas, ſeu non copioſiori alimento uti, quàm quantum extrema corporis neceßitas poſtulat, Præterea abſtinere ab omnibus uoluptatibus corporis & animi, ut elegantiori ueſtitu Muſica & ſimilibus. Quod ieiunium ſobrij homines, in calidis præſertim regionibus, ad hæc ſi non adhibeant

corporis

corporis exercitia, possunt toto uitæ tempore præstare. Eiusmodi credo ieiuniũ ieiunasse Iudith cap. 8. & Annam uiduam Lucæ. 2. quarum ieiunia erant continua.

Hypocriticum seu superstitiosum ieiunium dicimus quascunq; corporis afflictiones, propter opinionem cultus diuini susceptas, & tamen non ex uerè fracto & contrito corde progredientes. Eius species possunt esse penè infinitæ. Falsitas enim est multiplex, nos tamen tres tantum eius species faciemus, Meritorium, Ostentatorium, & Crapulosum.

Meritorium ieiunium appellamus, cum eo fine fit ab Hypocritis, ut hac ipsa sola afflictione quippiam à Deo mereantur. Eiusmodi olim Iudæi ieiunarunt. Esa. 58. Et in Papatu uetulæ & Monachi olim.

Ostentatorium est, quod tantum fit ad captandam inanem gloriam, aut aliud aliquid. Cuiusmodi erant olim Pharisæorum obscurantium suas facies, Matth. 6. & maxima ex parte hominum spiritualium in Papatu, Præcipuè autem Monachorum. Crapulosum cuiusmodi est Canonicorum, Abbatum & similium Epicuri de grege porcellorum.

Quò autem paulò melius nostra Ieiunij diuisio cognosci possit, proponemus eam in Tabula clare spectandam.

Ieiunium.
Figuratè dictum.
Synecdochicum.
Catachriſticum.
Allegoricum.
Propriè dictum.
Prophanum propter malũ aliquod Prophanum.
Præteritum.
Præſens.
Futurum.
Religioſum.
Pium.
Miraculoſum.
Poßibile.
Intenſius.
Remißius.
Superſtitioſum.
Meritorium.
Oſtentatorium.
Crapuloſum.

In has igitur ſpecies ieiuniũ diduximus ſequendo, quantum quidem facere potuimus, maximè ſacras literas. Non eſt tamen dubium, cum ieiunia paulatim in cæremonias & conſuetudines quaſdam abierint, nullisq; legibus circumſcripta fuerint, quin maxima ſemper fuerit eorum uarietas, ſingulis in alijs atq; alijs ieiunij partibus, uel caſu, uel pro libitu, plus aliquid minusue facientibus.

Ne contrarij quidem cognitio penitus negligenda eſt, cum alterius contrarij cognitio multum adiumenti ſecum adferat ad alterius contrarij naturam fœlicius introſpiciendam.

Contrarium igitur ueri ieiunij eſt primum & præcipuè illa nimis ſtudioſa & ſollicita commodorum omnium & uoluptatum huius uitæ conſectatio, quæ ex ſecuritate & neglectu iræ Dei, ac pœnarum & uitæ huius cupiditate progreditur, uel (ut uno uerbo dicamus) ex ipſa impœnitentia. De quo impœnitentiæ effectu Chriſtus Lucæ 17. ſatis copioſe diſſerit. Deinde etiam omnia Hypocritica ieiunia. Quorũ, quoniã in enumeratione ſpecierum mentionem fecimus, iam copioſiorem declarationem omittemus.

Operæ pretium tamen eſt cognoſcere, quomodo ieiunia ex illa uera ſua forma, quam adhuc tempore Apoſtolorum habuerunt, paulatim in hanc tantam hypocriſin et ſuperſtitionẽ, quæ in Papatu diu ſummа fuit, degenerauerint. Breuiter igitur, quantum fieri poterit, aliquid de hac quoq; parte addamus.

Figuratè Synecdochicum.

Primum ieiunia aliquandiu in Ecclesia post Christi ascensionem in uero usu fuerunt, id est, eiusmodi fuerunt, cuiusmodi ieiunium iam antea descriptum est.

Paulatim deinde, cum & reliqua Christiana dogmata corrumperentur, totaq; Religio ad externæ cuiusdam disciplinæ seueritatem inclinaret, incœperunt ieiunia tantum esse abstimentia, & pro bonis operibus, meritorijsq; actionibus haberi. Aliquandiu tamen fuerunt planè libera Christianis, nullisq; legibus ad ullas circumstantias alligata. Quod cum aliunde patet tum ex capite. 18. lib. 5. Ecclesiasticæ Historiæ, ubi legitur Montanum etiam ideò hæreseos notatum, quòd ausus sit regulas quasdam ieiunijs præscribere. Vixit autem is Montanus anno post Christum 170.

Quanquam enim Telesphorus Papa, ut scribit Platina, iam antea, nempè anno 130. statuerat, ut Ecclesia ieiunaret septem hebdomadis antè Pascha, tamen, ut testatur Irenæus, qui post Christi natiuitatem circiter 200. annos uixit, nec Telesphorus non obseruantes Quadragesimam excommunicauit, neq; alij eius successores. Imò uero nè ipsius quidem Irenæi tempore Quadragesima fuit necessarium ieiunium, sed, ut ipse inquit, alius uno die, alius duobus, alius octo, alius 40. ante Pascha ieiunauit. Ac deniq; summam fuisse ieiunandi uarietatem & libertatem suo tempore testatur.

Inualuit tamen paulatim ieiunium Quadragesimale, usq; ad tempus Ambrosij, qui circa 400. annum Christi floruit, ut planè pro necessario haberetur. Affirmat enim

mat enim ipse Ambrosius in sermone Quadragesimæ, reliqua ieiunia esse libera, hoc uero esse necessarium. Causa autem & occasio huius ieiunij fuit, quia Christus quoq; 40. diebus ieiunauerat, quibus quadraginta diebus adiecta est hebdomada una, propter passionẽ Christi. Priusquam autem quadragesima ad hunc numerum excresceret, ieiunabant alij unam, alij duas, alij tres dies ante Pascha, ut ueluti compaterentur Christo, qui illis diebus fuit in afflictione.

Calixtus Papa, qui circa 220. annum uixit, statuit primo ter in anno ieiunandum, quo maior esset prouentus frumenti, uini, olei, ut ueluti pro singulis his semel ieiunarent. Vnde & hoc obiter discere possumus eos iam tunc temporis habuisse ieiunium, pro bono ac meritorio opere. Posteà mutato consilio statuit quater ieiunandũ esse, quòd quatuor essent anni partes. Eadem opera mandasset duodecies ieiunari, cum sint duodecim menses, aut quinquagies, propter totidem hebdomadas.

Innocentius primus anno circiter 420. constituit die Sabbati ieiunandum esse. Diei Veneris ieiunium putant aliqui à Iudæis ad Christianos peruenisse, quòd illi sunt soliti etiam ante Christum die Lunæ & Veneris ieiunare, sicut Pharisæus Lucæ. 18. inquit. Ieiuno bis in Hebdomada.

Ita partim legibus Pontificum, partim superstitione, partim etiam consuetudine ieiunia adeò inualuerunt in Papatu, ut sine eis Christiana religio subsistere non posse existimata sit.

Monachi porrò, qui, ut cæteris rebus omnibus uolunt Christianis sanctiores esse, ità & ieiunia, absolutiora præstare conati sunt. Quare, cum intelligerent olim in ieiunio saccum induere solitos ieiunantes, excogitarunt & ipsi quoddam uestimenti genus sacco non admodum dissimile, idq; alicuius tetri tristisq; coloris. Et quoniã antiquitus in magno mœrore caput & barbam radebant, radunt igitur & ipsi caput. Item, quia olim, ut inquit Esaias, in ieiunijs in morem iunci caput incuruabant, ideò & ipsi incuruant ceruicem, & obstipo capite, ueluti nũmos quærentes, incedunt. Item quia olim in ieiunio etiam multum uigilabant, cum propter alias causas, tum etiam, quò sine intermissione Deum precarentur, ideò & Monachi media nocte surgentes in suis templis boant.

His igitur omnibus obseruatis, putant se solos esse, qui perpetuo rite ieiunent, perpetuo pro suis & aliorum peccatis, ueluti redemptores quidam humani generis, lugeant, & sint perpetuo pœnitentes.

Illud autem est commune omnibus ieiunij cuiusdam indicium in Papatu, quòd dicentes mea maxima culpa tundant pectus & etiam faciem aliquando. Sic enim Iudæi in magno animi mœrore facere solebant, ut & de Publicano Lucæ 18. legimus.

Atq; hæc de ieiunio dicere uolui, ut aliquanto appositius ac uerius totam rei huius naturam explicarem. Nam Papistæ, quia certis diebus semel tantum in die epulantur, & à carnibus abstinent, nos uero tales

obseruã-

obseruationes negligimus, putant se solos religiosos esse, nos uero penitus prophanos & impios. Ad hæc occurrunt non paucæ phrases in Biblijs de ieiunio, eiusq; cõtrario, quæ nondum satis à quoquam explicatæ sunt. Spero igitur ex hac nostra disputatione & Papistis uerè responderi posse, & locutiones illas scripturæ, nonnihil obscuras, illustrari.

DE NOMINE יהוה M.III.

DE Nomine Iehouah plurima, & à Iudæis, & à Christianis disputantur, sed multa parum certa, plæraq; inutilia, aliqua etiam superstitiosa & impia. Nos autem pauca iam, eaq; utiliora dicemus, Grammaticè tantum differendo. Ac primum de Etymologia eius, quã siue ab Haiah, siue ab Hauah deducamus, non multum intererit. Vtrunq; enim uerbum eiusdem significationis est, significat enim esse, & literis penè similibus scribitur. Iod autem à principio præpositum existimant docti more Hebræis usitato, qui ascititium Iod à principio nominum propriorum apponunt.

Quarè autem Deus tali se nomine nominare uoluerit, alij aliter iudicant. Putant aliqui ideò se nomine ab essendo deducto uocasse, quia ipse solus sit æternus & uerè existat, nec mutetur, sicut cæteræ res omnes, quæ à Deo suũ Esse mutuantur, ut Psalm. 102. scriptum est. A generatione in generationem anni tui, olim terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi

peribunt, tu autem permanebis, & omnes sicut uestimentum ueterascent, & sicut indumentum permutabis eos, & immutati erunt, Tu autem idem es, & anni tui non finientur. Aliqui etiam à certitudine ueritateq; diuinarum promißionum hoc sibi nomen Deum usurpaße arbitrantur, quod ille re ipsa, seu ipso esse, quæ promittit, ac ὄντως efficiat.

Mihi sanè, ut in re difficili ac obscura, ex ipso textu Exod. cap. 3. & 6. (Vbi primum hoc nomen institui uidetur) coniecturam facienti hæc sententia, quam nunc exponam, maximè uera uidetur, Iudicium tamen doctioribus relinquo.

Constat ex Paulo 1. Corinth. 10. Christum esse eum Deum, qui populum Israheliticum ex Aegypto eduxit, qui eos in deserto pauit, quemq; illi annos 40. tentauerunt. Christus igitur filius Dei, perpetuus Ecclesiæ redemptor loquitur cum Mose, eiq; mandata tradit ad Pharaonem & populum Israheliticum. Eum autem cum rogaret Moses Exod. 3. quo nomine appellaretur, respondit Christus, Ego ero, qui ero, Dic igitur populo Israhel, ERO misit me ad uos. Hoc igitur uerbum Ero, cum toties filius Dei repetat, dubio procu non uacat mysterio. Quid autem significare posßit, aut quid aliud futurus erat filius Dei præterquam Meßias, nihil uideo, Nam diuinitatis gloriam ab æterno habuit, Meßiæ autem munere tunc temporis nondum erat defunctus.

Proindè non dubito, quin per illud ter repetitum Aeh eieh Ero significarit Christus se benedictum illud

illud semen futurum esse, quod caput serpentis conterat, & in quo omnes gentes benedicantur. Addit autem statim in textu filius Dei, postquam dixisset, Dic igitur, Ero misit me ad uos, Sic dices ad filios Israhel, Iehoua Deus patrum uestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob misit me ad uos. Cum autem Iehoua ueniat à uoce Hauah, uel Haia, & ipsa dictio tertiam personam futuri temporis, masculini generis, singularis numeri (Erit) præ se ferre uideatur, admodũ est uerisimile, ut primum interrogatus filius Dei, quis esset, ac quo nomine appellaretur, responderit, Ego sum ille Deus, qui ero uester Meßias, ut habetis in promißionibus, & inter loquendum futurum in tertia persona (sicut in tertia persona de absente loqui solemus) iam quasi in nomen commutatum Mosen populo indicari iußerit. Sic dices ad filios Israhel, Iehouah Erit, id est, ille, qui erit uester Meßias, misit me ad uos. Atq; ea ratione nomen illud sibi Deus à præcipuo opere, quod ergà genus humanum exhibiturus erat, tanquam proprium tunc in ea totius religionis instauratione adsciuerit, præsertim cũ Deus in textu Exod. cap. 6. clarè affirmet, se tunc primum illud nomen assumere, nec reuelasse illud patribus.

Sed incidit hic iam quædam difficilis obiectio, quæ quoniam & ad hæc, quæ hactenus diximus, & ad ea, quæ dicenda restant, etiam magis pertinet, paucis nobis explicanda est. Textus cap. 6. Exod. admodum clarè dicit, quòd hoc nomen Iehouah non fuerit reuelatum patribus, sed tantũ nomen schadai. Cæterum quoni-

am in Geneſi aliquoties ſcriptum reperitur, putant aliqui docti nomen illud iamdudum notum patribus fuiſſe, ideoq; interpretatione quadam locum hunc Exodi leniendum eſſe. Mihi ſanè Brentij & pij & eruditi hominis ſententia in ea re maximè probatur, qui putat textum Exod. 6. ſimpliciter, ut uerba ſonant, intelligendum eſſe, Neq; enim, ſi Moſes ſuæ ætatis uocabulis in Geneſi ea, quæ à condito orbe uſq; ad ſua tempora acciderunt, deſcripſit, propterea neceſſe eſt omnes illas uoces ſtatim à condito orbe in uſu fuiſſe. Rei enim tantum ueritatem uocabulis ſuo populo ſignificantiſsimis, uti bonum doctorem decet, exponere uoluit.

Huc accedit etiam quòd Pharao cap. 6. Exod. ſtatim, ut audit iſtud nomẽ, interrogat, quis ſit Iohouah, & affirmat ſe ignorare illud nomen. Quòd ſi nomen illud iam olim reuelatum fuiſſet, ac de illo Ioſeph in Aegypto prædicaſſet, non eſſet profecto Pharaoni omninò incognitum. Vſus alioqui eſt Moſes & alijs non paucis nominibus præſertim locorum proprijs, in exponendis ueteribus Hiſtorijs, quæ antiquitus uſitata non fuerunt. Sed quoniam hæc iam mediocriter explicata ſunt, ideò ad alia certiora utilioraq; exponenda tranſeamus.

Vt una tantum res eſt eſſentia illa ſpiritualis, æterna, omnipotens, bona &c. ità uocabulum Deus uni illi ipſi eſſentiæ tantum uerè ac propriè attributum eſt, ac illi ſoli conuenit, ut ſcriptum eſt Deuter. 4. Oſtenſum tibi eſt, quòd Dominus ſit Deus, & nemo præter eum. Item Deuter. 6. Deus tuus unus eſt. Verum quanquam

omnes

omnes gentes uerum se Deum colere semper affirmarunt, Tamen, cum illum eiusmodi habere nollent, cuiusmodi se reuelarat, sed sibi eum suis imaginationibus, ac falsis doctrinis aliusmodi fingerent, quàm qualem ipse se reuelarat, accidit, ut & opinione, & sermone hominũ fierent dij multi, ut Paulus 1. Corin. 8. inquit. Et hoc nomen Deus ueluti appellatiuũ cõmuneq; ueris ac falsis dijs haberetur, ut hoc quoq; tempore uidemus fieri.

Deus se in sacris literis reuelauit, quòd sit unus Deus in tribus personis, quòd crearit cœlum et terram, miserit filium, ut morte sua genus humanum seruaret. Hunc talem Deum credunt, & adorant ueri Christiani, sed Mahometistæ & Iudæi eiusmodi Deum habere nolunt, in quo sint tres ὑπόσασις, & qui habeat filium &c. Itaq; ij, quanquam pertinaciter contendunt se uerum Deum, conditorem cœli & terræ colere, tamen à uero Deo aberrant, & sua Idola, quæ ipsimet sibi finxere, adorant. Qui enim non honorat filium, ille, teste Christo, nec patrem honorat.

Idem quoq; sæpissimè olim à condito orbe, usq; ad Messiæ aduentum accidit. Propterea Deus subinde se alijs atq; alijs patefactionibus reuelauit, ac aliquas notas ad sui definitionem adiunxit, quibus sese ab imaginarijs Ethnicorum dijs separaret, ut ante diluuium Seth coluit conditorem cœli & terræ, qui promisit semen mulieris conculcaturum caput serpentis. Cainica autem Ecclesia Deũ creatorem tantũ, promissionẽ uerò neglexit, addidit præterea ritus aliquos, quos ipsi uisum est.

Post

Post diluuium pij coluerunt Deum Schem Deum Abraham, Deum Isaac, id est, eum Deum, qui se eis reuelarat, ac promissiones dederat de semine, in quo benedicentur omnes gentes. Impij autē & Idolatræ alij aliter.

Deniq; cum iam tempore Mosis Ismahelitæ, Ammonitæ, Moabitæ non rectè Deum colentes, tamen dicerent se colere Deum Abraham, Item Idumæi dicerent se colere Deum Abraham, Isaac &c. Præterea quoq; Aegypti uellent dici cultores ueri Dei Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & tamen doctrinam à Iosepho acceptam paulatim peruerterant, uoluit Deus propter immensam suam bonitatem manifesta reuelatione se patefacere ac nouo nomine uerum cultum à falso separare, & simul totius religionis ac promissionum instauratione quandam ac declarationem nouo populo, nec dum satis in rebus diuinis instituto, proponere.

Reuelat igitur se hoc nomine per Mosen, quod sit Iehoua Deus Abraham, Isaac & Iacob, qui eduxit populum Israheliticum ex Aegypto. Atq; id nomen tanquam proprium ueri Israhelitarum Dei in Ecclesia usq; ad Christi aduentum permansit, ut est scriptum Esa. 42. Ego Iehoua, illud est nomen meum. Et Ierem. 32. Iehoua exercituum est nomen eius. Et Amos. 9. Iehoua est nomen eius. Item 1. Reg. 15. dixit Elias ad populum, Quousq; uos claudicatis in utrunq; latus, si Iehoua est Deus sequimini eum, quod si Baal est Deus, eum sequimini. Et eodem cap. paulò post exclamat populus, Iehoua est Deus, Iehoua est Deus.

Ex qui-

Ex quibus locis facilè est perspicere nomen Iehoua in Ecclesia & Prophetis, & populo esse intellectum pro proprio nomine illius Dei, qui se patribus reuelarat, & qui Israheliticum populum ex Aegypto eduxerat. Atq; ideò plærunq; in sacris literis sic legitur, Iehoua, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui eduxit populum Israhel ex Aegypto. Primum ponitur nomen proprium Dei, de quo disserit scriptura, postea affirmatur, quod Iehoua sit ille ipse Deus, qui dedit promissiones Abrahamo, Isaaco & Iacobo, et qui populum Israheliticum ex Aegypto eduxit. Sæpè tamen etiam solum Iehoua scriptum inuenitur.

Obseruandum ergo est illud Iehoua non esse nomẽ appellatiuum, nec temere quemuis Deum significare, sed esse proprium nomen Israhelitici Dei; ut intelligamus in sacris literis non temerè quemuis Deum inuocari, sed tantum illum unicum, qui se hoc nomine Iehoua suo populo reuelauerit, Idemq; nobis quoq; faciendum esse, ut nos & in docendo, & in orando ab Ethnicis, Turcis & Iudæis separemus, ac non temerè, uel ad dextram, uel ad sinistram declinemus, sed reuelata nobis diuinitus uia incedamus.

Quòd autem Græci, Latini & multæ uernaculæ linguæ per nomen Dominus hanc uocem transtulerunt, id non eò accidit, quòd uox hæc idem ualeret, Sed quòd, cum uellent aliquo modo interpretes, et hanc uocem in suum sermonem conuertere, putauerunt commodissimè nomine Domini eam ueluti κατ' ἐξοχὴν

significari

significari posse, tanquam uolentes dicere, Ille summus Dominus ac noster proprius Dominus. Perindè ac usitatè domestici nomine heri & heræ utuntur, quod nomen quanquam appellatiuum est, tamen familiæ certam personam, acsi proprium esset, significat.

Hactenus de nomine Iehoua, quod, ut superius dixi, ualdè mihi ueri simile Fit Christum tunc in illa nouæ Ecclesiæ collectione, totiusq; religionis gloriosa instauratione, sibi à præcipuo suo opere adsumere uoluisse, ut sic & ipso nomine Iehouah Erit inculcaret pijs, se fore illum eorum seruatorem toties diuinitus humano generi promissum. Finis.

QVOD SACRA SCRIPTVRA INTEgrè, non tantum consonantibus, sed & uocalibus indè ab initio scripta fuerit, ἐπιδεικτικὸν scriptum M. Fla. Illyr. olim in promotione, ut moris est, præceptoribus exhibitum.

CVm in hoc ἐπιδεικτικῷ scribendi genere nihil aliud sibi authores proponant, quàm ut ingenij, doctrinæq; laudem apud auditores, lectoresue consequantur, Eiusmodi plærique omnes materias eligunt, ex quibus, quod cupiunt, facillime efficere possint. Veteres enim illi Græci Sophistæ cum magna ui ingenij, longo exercitio, uberiq;, ac multiplici doctrina (quanquã & audacia aliquãdo, teste Cicerone, proscientiæ uti licet) præditi essent, sibi præsidentes eiusmodi potissimũ materias requirebant, quæ aut propter magnam

nam rerum uarietatem, aut tenuitatem, aut etiam falsitatem, non nisi maximo doctrinæ, ingenijq; præsidio ueri similiter, splendide, ac magnifice tractari, auditoribusq; proponi poterant. Vt cum Gorgias, Hippias, Elicus, alijq; eorum laudis æmulatores, aut de omni re proposita dicere, aut τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν se posse in πανηγύρει olympica, totius Græciæ celeberrimo conuentu profiterentur: eiusdem generis est etiã quod Polycrates, & Isocrates Busyridem, Glaucon, apud Platonem, iniustitiam, Phauorinus Tersiten commendauit. Laudauit idem & febrim quartanam. Cuius tamen ego boni libenter ἄμοιρος esse uelim, Si mihi liceret, eiq; ὁλόκληρον concesserim. Laudauerunt & caluitium alij, alij culicem, pulicem, muscam, aliasq; eiusmodi ἀδόξους καὶ ἀτόπους ὑποθέσεις eloquentes homines celebrarunt, quæ cum sua natura sint exiles, ac contemptæ, nec nisi magno ingenio, doctrinaq; splendidæ reddi possint, magnam ex eis opinionem ingenij, ac eruditionis authores earũ apud populũ cõsequebantur.

Aemulati sunt & recentiores quidam eruditissimi homines maiorum illorum gloriam. Vt Erasmus commendauit Moriam, Budæus cum sibi de Asse dicendum proposuisset, materia, ut quidem adparet admodum tenui, quæq; paucis pagellis explicari posse uideatur, tantum tamen ipse ex illo fumo (ut Horatianis uerbis utar) fulgorem dedit, tam speciosa miracula deprompsit, ut diceres, nullam commodiorem occasionem potuisse offerri eruditissimo uiro, in qua omnes eloquẽtiæ uires,

tiæ uires, omnemq; ſuã multiplicem doctrinã oſtentaret, καὶ, ὥς ἔπος εἰπεῖν, ἵππος εἰς πεδίον ἀγόμενος.

At nos imbecilliores omnibus illis præſidijs ingenij, exercitij, doctrinæq; carentes (niſi fortaſſe audacia non omninò deſtituamur) longè diuerſa uellificatione in eundem portum pro uiribus contendimus. Eiuſmodi enim quærimus materias, quæ propter ſuam amplitudinem, ſplendoremq; magnam optimorum uerborum, ſententiarumq; copiam etiam non nimis erudito homini ſuppeditare poſſint, aut & quarum tanta quædam uis boni rebus ipſis ineſt, ut uel non ualdè eloquentia exornatæ, mirifice tamen lectoribus arrideant.

Mihi autem uiri eruditiſſimi præceptoresq; obſeruãdiſſimi neutram harum rationem hoc quidem tempore ſequi uiſum eſt. Ab altero enim genere infantia mea me repellit, ab altero ipſa perſona, officiumq; me reuocat, cogitq;, ut quaſi perſonæ decorum ſeruaturus, de Hebraicis aliquid ſtudijs diſſeram. Non quidem, ut hanc uerè diuinam linguam, qua, cum uoluit Deus loqui, uſus eſt, neglecta tumida, impropriaq; illa Platonis magniloquentia, prædicem. Quid enim eam laudarem, cuius ſunt laudes & ità conſpicuæ, ut eas non ualdè opus ſit oſtentari, & à multis eruditiſſimis uiris tam bellè decantatæ, ut ego ea in re ſummam illarum eruditionem, facundiamq;, ne admirari quidem ſatis poſſim, ne dicam imitari, aut ſuperare?

Verum uiſum eſt dicere de hac quæſtione, an puncta, ſeu uocales ſint iam olim à ſacrorum librorum ſcriptori-

ſcriptoribus unà cum conſonantibus ſcriptæ, aut uero poſtea, ut quidam uolunt ab Eſra, uel, ut quidam audent adfirmare, ducentis triginta ſex annis poſt templi deſtructionem, à Rabinis quibusdam inuentæ. Quæ diſputatio quanquam & arrogantiæ crimen apud male iudicãtes nobis inurere poſſet, aut etiã inuidiam conciliare, quód nos ferè ſoli contrà aliorum iudicia ſentientes, quaſi plus cæteris ſapere uideri uoluerimus: Tamen cum Philoſophorum princeps iudicet, φιλοσόφους ἄνδρας δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, & ὅσιον εἶναι προτιμᾶν τῇ φιλίᾳ τὴν ἀλήθειαν. Nos autẽ Chriſtianos homines non ſolũ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ſed & fortunarum omnium, uitæ, fãmæq; diſcrimen ἐπὶ ἀληθείας σωτηρίᾳ adire conueniat, Volui & ego, cum uiderem rem non parui momenti, ut poſteà indicabo, in hac quæſtione uerti, de eo negocio quod in rem fore putabã, commonere. Quanquam mihi etiã illud animum facit maiorem, quód hæc præceptoribus meis offero, qui, uti paternum præceptoris animum decet, ſi quid me rectè monuiſſe animaduerterint, magno applauſu excipient, ſin deliquiſſe aliqua inre, placide id corrigent.

Mea eſt igitur ſententia, Vocales, ſeu (ut uocant) puncta unà cum conſonantibus iam olim (fortaſſe adhuc ab Adamo) inuenta, omnesq; ſacrarum literarum ſcriptores integrè, dilucideq; ſcripſiſſe, non ſolum conſonantibus, ſed & uocalibus, eosq;, qui contraria ſentiunt, non ſolũ falſa ſentire, ſed & conſcientijs, Eccleſiæq;,

quæ tantũ certitudine uerbi Dei ædificatur, pernicioſa.

Nam(ut τὰ ἱερογλυφικὰ, quæ magis picturæ quædam naturæ rerum, quàm literæ ſonum ſignificantes fuerunt) aut Deus ipſemet Adamo, uel alicui alij primorum illorum ſanctorumq; patrum literas coram, ut uehementer credibile eſt, tradidit, aut aliquem præſtantem uirum ad tale inuentum ſuo ſpiritu excitauit ac perduxit. Si ipſemet Deus coram id munus hominibus largitus eſt, quid tandem ueriſimilius eſt, quàm integrum id abſolutumq;, ut omnia eius opera ſunt, dediſſe?

Quod ſi quiſpiã homo tanti inuẽti author extitit, ſiuè Adam ille fuerit, aut aliquis alius ingenio, longoq; rerum uſu cæteros mortales præcellens, ſi inquam quiſpiam talis uidens magnam eſſe humanam imbecillitatem, nec poſſe omnia memoria teneri, quæ tamen uitæ utilia, neceſſariaq; eſſe uidebantur, ſiuè ea in religione, ſiuè in artibus, ſiuè in quotidianis negocijs, ſita eſſent, propterea omni ſtudio, cogitationeq; in eam curã incubuerit, quo quæ præclara utiliaq; ſuis chariſimis liberis, auditoribuſq; traderet, ità notare poſſet, ut non facilè abolerentur, ſic, ut iudico, in ſua illa inueſtigatione progreſſus eſt. Primum animaduerterit (Deo ſine dubio ei præeunte) quosdam ſonitus in diuerſis uocibus ſibi mutuò ſimiles, eosdemq; ſubindè reiterari, aliasq; cum alio, atq; alio ſonitu miſceri. Deindè eam rem cum diligentius obſeruare cœpiſſet, ac prima & ſimpliciſima elementa, & ueluti fontes primos, ex quibus tanta uis uocum ſonorumq; componeretur, acueluti ſcaturiret,

κατὰ

κατὰ ἀνάλυσιν, ut in inuestigatione artium fit, scrutaretur, animaduertit tandem, non nimis multos esse simplices illos sonitus, sed concursionem, ac commixtionem eorum esse infinitam. Postremo hoc cum perspexisset, cogitauit paruulas se quasdam notulas illis simpliciori-bus sonitibus positurum, quibus illos notaret, quæque ità inter se coniungi, commiscerique possent, sicut ipsi sonitus inter se miscerentur. Hoc modo si inuentor literarum ad earum inuentionem, ut certè est ualdè uerisimile, progressus est, haud dubiè εὐφωνοτάτους quasq; primo exaudiuit, obseruauitq;, quæ ipsa nimirum sunt φωνήεντα, posteà quæ minus, ut ἡμίφωνα, Postremò τὰ ἄφωνα. Illustrissima enim quæq;, quorumq; usus est longè maximus, in omnibus artibus primo obseruantur.

Quodsi etiam frequentissimum usum, necessitatemq; spectauit, facilè animaduertit, non solum dictionem, sed ne unam quidem sonituum coniunctionem, seu, ut clarius dicamus, syllabam sine uocalibus constare posse. Maximè igitur necessaria quæq;, quæ nimirum ipsæ sunt uocales, primum excogitata sunt, minus autem necessaria posteà. In omnibus enim artibus primum utilitas, necessitasq; spectari solet, posteà demum commoditas. Vnde & apud Græcos, & apud Latinos quædam minus necessariæ literæ longo tempore posteà additæ esse commemorantur.

Hoc ordine etiã Plato in Philebo literas inuentas adfirmat, siue ille reuera id dicat, ut ab alijs Historiã per manus accepit, siue ratiõe ipsa, cogitationeq; hunc ordi-

nẽ maximè naturæ cõueniẽtẽ, ueriſimilẽq; animaduertit. Quem locũ et ꝓpter autoris nomẽ, et loci elegantiã adſcribã. ὥσπερ γὰρ ἔν ὁτιοῦν εἴ τίς ποτε λάβοι, τοῦτον ὡς φαμὲν οὐκ ἐπ' ἀπείρῳ δεῖ φύσιν βλέπειν εὐθὺς, ἀλλ' ἐπί τινα ἀριθμὸν, οὕτω καὶ τοὐναντίον ὅταν τις τὸ ἄπειρον ἀναγκαθῇ πρῶτον λαμβάνειν, μὴ ἐπὶ τὸ ἓν εὐθὺς, ἀλλ' ἐπ' ἀριθμόν τινα πλῆθος ἕκαστον ἔχοντά τι καταμετρεῖν, τελευτᾶν τε ἐκ πάντων εἰς ἕν. πάλιν δὲ ἐν τοῖς γράμμασι τὸ νῦν λεγόμενον λάβομεν. Πρ. Πῶς; Σω. Ἐπειδὴ φωνὴν ἄπειρον κατενόησεν, εἴ τέ τις θεὸς εἴ τε καὶ θεῖος ἄνθρωπος, ὡς λόγος ἐν Αἰγύπτῳ θεῖόν τινα τοῦτον γενέσθαι λέγων, ὃς πρῶτος τὰ φωνήεντα ἐν ἑαυτῷ ἀπείρῳ κατενόησεν, οὐχ ἓν ὄντα ἀλλὰ πλείω. καὶ πάλιν ἕτερα φωνῆς οὐ, φθόγγου δὲ μετέχοντά τινος, ἀριθμὸν δέ τινα ἔχοντα τούτων εἶναι. τρίτον δὲ εἶδος γραμμάτων διενεμήσατο, τὰ νῦν λεγόμενα ἄφωνα ἡμῖν. τὸ μετὰ τοῦτο διῄρηται πᾶν ἄφθογγα καὶ ἄφωνα μέχρις ἑνὸς ἑκάστου, καὶ τὰ φωνήεντα καὶ τὰ μέσα, καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον, ἕως αὐτῶν ἀριθμὸν λαβὼν ἑνί τε ἑκάστῳ καὶ ξύμπασι, στοιχεῖον ἐπωνόμασεν. Atq; hæc quidem Plato, cui tantum Cicero tribuit, ut τὸ φάναι αὐτὸν ſolũ ſine ullis rationibus ſibi ſatis eſſe putet.

Quòd ſi & ſtatim à principio uocales cum cõſonantibus inuentæ non eſſent, tamen ipſe quotidianus uſus, paruulorumq; inſtructio eò docentes deduceret, ut uelut adiumenti cauſa notulas aliquot excogitarent,

quibus

quibus pueros monerent, Hic tale aliquid, istic aliud, ibi rursus aliud subintelligendum, quæ posteà paulatim exculta, cum quid diligentius scribere uoluissent, in usum adhibuissent. Nec est omnino credibile in tanto regno, in tam uarijs politicis, Ecclesiasticisq; negocijs, in tanta præsertim fertilitate ingeniorum, non futuros aliquos fuisse, qui etiamsi non extarent, tamen propter infinita dubia, quæ ex illa non satis clara scriptura oriri poterant, circà Dauidis, Salomonisq; tempora aliquas notulas inuenissent, quibus res clarè signateq; exprimerent, tamque uaria dubia, quæ quotidie orirentur, tollerent. Videmus enim, uel in Latinis, uel in Græcis scriptis, ubi cum nullæ literæ desint, omniaq; expresse notentur, q̃ crebro de autoris sentẽtia dubitetur. Vel Iuristarum tam uariæ legum interpretationes, singularumq; propemodum dictionum glossationes docere nos satis possunt, quàm infinita dubia, erroresq; ex eo scriptionis genere oriri potuissent. Proindè necesse est, aut à principio statim uocales unà cum consonantibus, inuentas, aut certè non multo postea, ipsa necessitate sic exigente, ac ueluti χειραγωγόσις ad rei inuentionem, & nõ demum annis 236. post templi distructionem (ut isti somniant) à quibusdam bellis homunculis Tiberitis.

Illud autem quod Christus dicit, Legis neq; Iod, neq; apicem unicum periturum, cum sit Hebraice locutus, non uideo de qua re alia intelligi possit, nisi de notis, quibus uocales, distinctiones, accentusq; in Hebraico sermone notantur. Non enim est dubium, quin de He-

braica scriptura, non Græca, dixerit, cum & Lex scripta esset Hebraicè, & ipse Hebraicè, uel Chaldaicè, quod idem ferme est, sit locutus. Volebat autem significare non solum legem totam non esse delendam, sed ne minimum quidem de lege, alludens ad notulas, quibus Lex, & Prophetæ scripti sunt, interituri esse. Neq; hoc etiã dici potest, quòd in eam quidem sententiam Christus disseruerit, Cæterum Euangelistæ uerbis, quibus ipsi noluerint, eadem extulisse. Videmus enim Euangelistas, præsertim in istiusmodi grauioribus sententijs, non solũ sensum uerborum Christi, sed & ipsa uerba expressisse. Huc accedit, quod Matthæus & Lucas eadem omninò uerba recitant, ut illa ipsa concordia testetur, eos etiam ipsa uerba à Christo prolata recitasse. Ex hoc igitur Christi dicto certo sequitur, Legem ac Prophetas, non solum literis, sed & apicibus iam indè à principio scriptos. Aut, si quis rixosior hoc concedere nolet, illud tamen cogetur concedere, tempore Christi, iam legem apicibus notatam fuisse. Alludit enim ad usitatam scriptionem legis, ut dictum est.

Illud autem maximum est, longeq; grauissimum, cuiusq; rei causa præcipuè de hac materia uolui dicere, quod si hanc hypothesin ponere diabolum Ecclesiæ permiserint, nonne tota scriptura nobis fiet omninò incerta? Nullo autem modo concedendum est, Spiritum sanctum tam obscure, minimeq; explicate scriptam doctrinam de Deo tradidisse, qui tamen ob hoc ipsum scribere hæc uoluit, ut ab Ecclesia planè intellecta uera ei

ram ei uiam Deum colendi, suamq; salutem inueniendi commõstrarent. Nam de eo planè nullum dubium est ei, qui uel à limine literas Hebræas salutauit, quin, si liceat cuipiã astuto, distinctiões, et uocales tollere aut mutare, tota omninò scriptura futura sit incertißima. Quod, cũ facillimum sit cuiq; uel etiã ex alijs linguis iudicare, exemplis non declarabo.

Vnum tamen exemplum non à nobis excogitatum, sed quod omnibus est notißimum, proferemus, quod est in Genesi, ipsum conculcabit caput tuum. Vbi quàm utilis doctrina olim sublata fuerit, siue illud ex punctorum inopia accidit, siue ut magis arbitror, posteà ab aliquo, uel sciolo, cui uidebatur textus futurus dilucidior, uel & superstitioso, qui diuæ Virgini gratificari uoluerit. Nam etiã Iosephus, cum eundem locum Græcè rectè habeat, tamen in latina uersione est corruptus.

Atq; hic temperare mihi nequeo, quin nostris Papistis irascar, qui in Colonienſi latini Iosephi æditiõe in margine diuerso charactere asscripserũt, Videãt isti noui Hebraistæ, an non & Iosephus Ipsa legerit. O misero Papistas qui suo ruẽti iam Antichristianismo, homicidio & mendacio, gladio & Sophistica opitulari conantur.

Illud quidem nolo cœlare pium lectorẽ, me habere manuscriptas annotatiões super uetus et nouũ Testamentum, amplius antè 300 annos scriptas, quæ Ipsum in Genesi legant. Quocunq; uerò demum modo error ille acciderit, nisi puncta existerent, adhuc quomodo legendũ esset, dubitaretur. Sed cum hoc & ex alijs lin-

guis facilè dijudicari poßit, pbare pluribus intermittã.

Si autem conceſſerimus eſſe humanum inuentum quorundam Rabbinorum, qui poſt Chriſti paßionem annis fermè 276. uixere, quod iam etiã à Chriſtianis quibusdam malum adſeritur, non uideo quomodo prohibere poßimus, quò minus quiſq; pro libitu ſacras literas fingat atq; refingat.

Sunt autem qui huic malo dupliciter poſſe ſe occurrere putant. Primum eſt, quòd dicunt, ueram lectionẽ diligenter traditam fuiſſe in Synagoga, eamq; permanſiße, donec puncta inuenta ſunt. Alterum eſt, quòd dicunt, Nouum Teſtamentum, ſatis dilucide ſcriptum eſſe, ut non ualde multum Eccleſia damni pati poßit, etiã ſi quis uetus Teſtamentũ aliter, atq; conuenit, legere uelit, Quorum alterum, quam falſum ſit, alterum uerò etiam impium ſuo ordine oſtendemus.

Nam qui dicunt, retentam eſſe lectionem, quæ inde usq; à Moſe per manus tradita ſit, non ſolum non confirmant quicquam, ſed & ualdè inconſiderate loquuntur. Vt enim concederemus aßidue in eruditorum manibus Biblia uerſata eſſe, tamen nulla eſt tanta memoria, quæ in tot miriadibus ſyllabarum, quæ in ſingulis uocales ſubintelligendæ eſſent, obſeruare poßit. Quid quòd cum multæ uocales ſint ualde ſimiles, pronunciatioq; pene ſingulorum hominum ualdè uariet, nonne ſæpißime auditor alteram pro altera accepiſſet? ut autem ipſe accepiſſet, ſic alijs tradidiſſet. Semperq; errores cumulati fuiſſent, atq; ità planè impoßibile fuiſſet ueram lectionem conſeruari.

Verum

Verum neq; aßiduè in manibus discentium, docentiumq; fuit scriptura, neq; semper eruditos interpretes habuit. Nam quod ex sacris literis constat, sub Manasse, Amon & Iosia, annis circiter 67. quicquid erat sacrarum literarum, tam fuit ex usu remotum, ut, extaret ne omninò amplius lex, an non, penitus ignorauerint. Nec credo omninò ullum hominem priuatim clam apud se scripturam habuisse. Nam si quispiam habuisset, pœnitentiam agente Manasse, Item 10. annis Iosiæ pij regis, proculdubiò in lucem produxisset. Illis tam multis penè 70 annis quis docuit? Quis didicit Biblia legere? Quis uerò doctor tam diu aut uixit, aut memoria tenere lectionem potuit? cum tamen plæriq; omnes trucidati fuerint? Certum est & alias sub impijs regibus studium sacrarum literarum ualdè refriguisse.

Porrò ne hoc quidem rectè rem perpendenti ualdè uidetur credibile ausuros fuisse addere aliquid Iudæos, Et si enim uerum est in torquenda sententia ualdè audaces esse, tamen in seruanda scriptione adeò sunt superstitiosi, ut si quæ litera, fortasse etiã casu, aut suo loco mota fuit, aut paulo aliter picta, aut aliqua alicubi defuit, non ausint eam restituere. Sed, si alicubi diuersas lectiones inuenerunt (quæ tamen diuersitas magis est in literis, quam in significatione) alteram in margine, alteram in textu scripserunt. Habent & peruulgatum dictum, nullam esse literam in lege, quin in ea magni montes pendeant, quod eorum nimis religiosam, uel potius superstitiosam diligentiam, in seruanda sa-

crarum literarum scriptione satis testari potest. Nec recte faciunt, qui aliquando dicunt, ueteris Testamenti textum à Iudæis corruptum esse. Nam & eis falsum crimen impingunt, & Ecclesiæ longè plus obsunt, quam uolunt defendere, quàm Iudæis, quos parum cautè oppugnant.

Sed iam ad alterum ueniamus, Quòd scilicet quidam dicunt nouum Testamentum tam clarum scriptum esse, tantumq; ei autoritatis tribuendum, ut etiã si uetus pro obscuro, incertoq; habeatur, tamen Ecclesia piæq; mentes omnes nouo satis cõfirmari possint. Equidem non solum id fateor, sed & summopere Ecclesiæ, nobisq; omnibus fœlicitatem hanc gratulor, propterea q; Deo gratias ago, quòd tantum certitudinis, addo etiã doctrinæ, in quauis sacrarum literarum uel minima parte sit, ut pia mens (si ità res postulet) ea sola contenta esse possit & debeat. Sed tamen nolim nos, aut tam negligentes esse in defendendis nostris rebus, aut tam etiã nimium opibus abundantes, ut non putemus ingentem quandam regni nostri ruinam secuturam esse, si uel minimam partem diuini huius thesauri nobis abripi patiamur. Cum tamen uetus Testamentum non minima, sed longè totius scripturæ præstantissima pars sit, ac unde noui aureum istud flumen deriuatur, ad quod q; sæpissime à nouo remittimur. Imò uero indè etiã ipse Saluator, & suam doctrinam ueram esse confirmauit, & nos scrutari idem præcepit.

Huc etiã accedit quod nouo nos tantum confirmare, falsosq; fratres oppugnare possumus, Iudæos autem,

rem; Mahometistasq; eo, utpotè cuius apud eos nulla est authoritas, confutare nõ possumus. Vetus autẽ non solum consolationi nobis est maximæ, quòd ea uidemus multis sæculis antequam fierent, à Prophetis prædicta, quæ nouum facta esse commemorat. Sed etiam ualidum contra omnes omnium sectarum, siue Iudæi, siuè Turcæ sint, præsidium. Quarè & uetus, & nouũ, cum propter nostram salutem utrunq; scriptum sit, toto pectore cõplectamur, nobisq; diabolicis technis eripi nõ sinamus.

Ex his, quæ hactenus diximus luce clarius, quẽuis perspicere posse arbitror, si, hanc hypotheſin planè ab ipso diabolo excitatam in Ecclesiam irrumpere permiserimus, Totum uetus Testamentum, ac penè etiã nouum, quod indè dependet et confirmatur, incertißimum nobis futurum esse, quod neq; Spiritus sanctus, cum ob id ipsum scripserit, ut intelligatur, non, ut non intelligatur, conceßisset. Neq; etiam Ecclesia nullis planè firmis rationibus uicta concedere debet.

Sed iam etiã bellas aduersariorum ratiunculas uideamus, quibus tantam rem, tam temere adfirmare nõ dubitant. Ac primum, quod ad Rabbinorum authoritatem attinet, non ualdè moueor eorum dictis, ut in alterutram demum sententiam pedibus concedam. Sunt enim omninò suæ historiæ ignari, præsertim eius, quæ à destructione templi res eorum commemorat. Nec tamen ij omnes contra nos sunt, sed fermè præcipui quiq; eorum, ut Elias eos citat (qui his temporibus primus pestilentem hanc opinionem innouauit) magis nobiscum,

quàm

quam contrà sentiunt. Dicunt enim esse quidem uocales traditas unà cum literis in monte Sina Mosi, uerum ab Esra primum in libris notatas, quod probant ex 8. Nehemiæ, qui tamen locus nihil ad rem facit. Sunt rursus alij, qui negent in monte Sina data puncta, ut Rabinus Abrahã filius Esre, autor libri elegantiarum, item autor libri Cozar. Verum, ut ante dixi, non est quod eorum authoritate moueamur, cum sint historiæ ignari. Nec rationibus quidem eorũ mouebimur, quia nullius sunt momenti. Quid enim magis ridiculum dici potuit, quàm quòd dicunt, quia non omnia puncta habent nomina Hebraica, sunt enim quædam Chaldaica, ideò statuendum, postea esse à Rabinis inuenta? Quasi uerò eorum Rabini, quos inuentores punctorum uolunt fuisse, Chaldaice scripserint. Est uerò illa eorũ chimera longè magis Hebræo, quàm Chaldeo sermoni cognata. Sed illud est sciendum, nomina ista Grammatica sæpè immutari, alij enim præceptori siuè commoditatis, siuè etiã nouitatis studio, alio nomine appellare uisum est, ideoq; aliquot uocales, accentus, imò & alia Grammatica uocabula plura nomina habent.

Sed omittamus Rabinos, uideamusq; & nostrorum quorundam rationes, Inter quas potissima est, quòd nomina propria in Græca, Latinaq; uersione multum sint diuersa ab Hebraica scriptione. Item quòd quædam aliæ uoces sint perperam uersæ, quod, ut ipsi putant, nõ accidisset, si eorum Biblia fuissent punctata. Igitur concludunt neq; Latinum, neq; Græcum interpretem habuisse

buisse Biblia punctata, si autem ipsi non habuerunt, nulla fuerunt eorum temporibus adhuc puncta.

Hoc fermè est eorum præcipuum, uel & unicũ argumentum, ad cuius nos singula membra ordine respondebimus. Primum quod dicunt de nominibus propris, respondemus esse usitatißimum, ut quæuis lingua aliena propria nomina ad suarum aurium iudicium ità transformet, ut uix agnoscere possis, sint ne eadem, aut omnino diuersa, idq; cum sit notißimum, iam pluribus probare omittemus.

Quòd autem attinet ad uocabulorum quorundam uersionem ineptam, mihi sane non tam punctorum inopia, quàm aut eorum inscitia, aut etiã posteà sciolorum scriptorumq; deprauatio in causa fuisse uidetur. Nam adeo sunt quædam deprauatè uersa, ut, si liceret indè argumentari, facilè probare possimus, eos non solum uocales, sed nec consonantes, imò uerò nec textum quidem habuisse, cum ea peruerterent, sed ægrorum tantum somnia scripsisse.

Quòd si etiam concederem, neq; Hieronymum, neq; Græcos interpretes Biblia cum uocalibus scripta habuisse, num propterea sequeretur, nulla fuisse? Potuit enim fieri, ut, cum tanta fuerit difficultas scribendi, præsertim Hebræa, propter tantum numerum notularum, nec facilè quisq; posset tantos sumptus facere, ut sibi curaret Biblia integrè describi, putauerint multi, qui iam nõnihil profecerant, sibi tantũ cõsonantibus scripta Biblia satis factura, eoq; factum, ut, cum multi eiusmodi

exempla-

exemplaribus uterentur, tale aliquid in Hieronymi manus peruenerit, num propterea consequeretur, omninò nusquam extitisse Biblia uocalibus scripta? Ea sanè ratione ne Chaldaica quidem Paraphrasis extitit, quia ipse eius nullam mentionem facit. Idem quoq; de Græco interprete dici posset, de quo, quis ille fuerit, nondum satis inter eruditos constat, quanquam ità depraua tè, confuseq; in Græco textu, præsertim in Prophetis multa leguntur, ut diceres, eum omninò nullum textum habuisse, sed somnia tantum ægrorum chartis illeuisse.

Nullius igitur momenti hæc ratio est, neq; quicquam affert, quod, non dicam demonstrare, sed ne uerisimiliter quidem tantum probare possit, nullas uocales consonantibus additas tempore horum interpretum in Hebraica scriptura extitisse. Nostræ uero rationes, quas superius attulimus (ut quidem nobis uidentur) certò certius comuincunt, uocales iam olim apud Hebræos unà cum consonantibus in usu fuisse, minimeq; linguæ huius scripturam, quæ alijs omnibus gentibus cognitionem literarum tradidit, ut ipsa adhuc nomina testantur, imperfectam fuisse. Siue enim inuentionẽ characterum cõsideres, non est credibile inuentores obscuriora, quorũq; usus minor est, clarioribus, utilioribusq;, aut citius inueniſſe, aut magis amplexos esse. Imo adeò est impossibile eos uocalibus caruisse, ut nè hodie quidem quisquã possit scripta sine punctis legere, nisi in lectione punctata Bibliorum probe prius uersatus sit, breuiq; cognitio illius lectionis interitura sit, nisi Biblia haberent, cuius

lectione

lectione ſudinde, quo modo non punctata legenda ſint, lectores admonerentur: Siue Chriſti dictum perpetuum, ſatis clare perſpicies, eum id dixiſſe, ità ut eſt ſcripta diuinitus, lataq; lex cum Iodis (quod & ipſum uocale eſt) & apicibus neceſſe eſt eam ratam, impermutatamq; in perpetuum permanere.

Quòd autem inſuper & incertitudo maxima ſacrarum literarũ ex hac diabolica hipotheſi ſequitur, nonnè nos uehementiſſime extimulare deberet, ut pro contraria ſententia, tanquam pro aris ac focis, depugnaremus. Neq; enim ullo modo credendum, Spiritum ſanctum docendi magiſtrum omnium optimum tam obſcurè, ac omninò certitudine omni carente, ſicut dæmonum oracula olim fecerunt, ratione cœleſtem doctrinam tradere uoluiſſe. Non permittamus igitur ullo modo hanc tam peſtiferam opinionem in noſtras Eccleſias irrumpere, ex qua longè plus mali conſequitur, quàm ea prima fronte præ ſe ferre uideatur.

Nihil enim aliud agit ea fraude diabolus, niſi ut opinionem uenenatiſſimam, recens ab ipſo excitatam, nunc eruditorum piorumq; uirorum partim ſcriptis, partim ſilentio confirmet. Poſteà huic hypotheſi ædificium ſuperſtruat, quo tandem nobis totam penè ſcripturam eucrtat. Mille artifex enim iſte non ceſſat quærere, quomodo Eccleſiam Chriſti deuoret. Cum enim uideat Deum cœleſte ſui uerbi lumen de ſub modio, quo id Antichriſtus per ſuarum traditionum iuriumq; ingentem aceruum abiecerat, extraxiſſe, idq; iam ſuper

candela-

candelabrum in domo Domini collocatum omnibus in ea uersantibus præclarè lucere, uideatq; Deum per pios uiros tantum sacrarum literarum lumen esse sequendum toti penè orbi ostēdisse, humanas uero, aut diabolorū potius doctrinas, quòd ad æternæ salutis rationem attinet, reijciendas esse, hoc ipsum lumen, atq; hanc ipsam pedibus nostris propositam lucernam plenam obscuritatis, ac tenebrarum esse ostendere conatur. Proindè uigilemus & nos sedulo, hostisq; cogitationes non ignorantes, fortes in fide, ac ueritate ei resistamus.

Hæc ego uolui partim consuetudinis seruandæ causa, partim etiam quia non planè ἀνεμώλια esse putaui, uobis Præceptores obseruādißimi exhibere. Quanquam enim nō ignorem, quam sit & authoritas mea ad tuendam tantam causam parua, & eruditio etiam minor, tamen & illud cogitabam, quod à principio scripsi, me hæc Præceptoribus meis exhibere, qui, si quæ rectè à nobis dicta fuerint, laudabunt, sin minus, paterna σοργῆ erratum nostrum corrigent. Et præterea etiam illud ὅτι πολλάκι καὶ κήπωρος ἀνήρ (κατὰ τὴν παροιμίαν) μάλα καίριον εἶπε.

Proindè oro uos Præceptores obseruandißimi, ut nostros hos lusus boni consulatis, prolixitatemq; hanc, non tam inconsulte nobis excidisse, quam quòd res ferme ipsa aliter tractari non potuit, uobis persuadeatis.

Dixi.

Sequun-

SEQVVNTVR SCHOLIA M. ILLY. IN ALIQVOT difficilia ſcripturæ loca.

EPIST. LVTH. AD G. RORARIVM.

Venerabili uiro M. Georgio Rörer.

GRATIAM ET PACEM &c. MITto mi Georgi locum illum 2. Reg. 23. *qualem uolumus uerſum & excuſum. Tu ſimul cum* D. *Aurogallo conferas & oſtendas ei meas in hoc loco diuinationes, ſcilicet, quòd deprauatus ſit hoc loco ipſe codex imperitia ſcribæ, uel, quod magis credo, deformitate literarum. Sic enim utrunq;, ſcilicet hunc* 2. Reg. 23. *& illum* 1. Paralip. 11. *contuli.*

2. Reg. 23. Hæc ſunt noīa. } fortiū Dauid. { Ioſeb
1. Par. 11. Hic eſt numer9. } { Iaſabeam

Baſebeth Thachmōi } Caput inter { Tres } Ipſe
filius Hachmoni } { Triginta }

Adino Hatznib } Super { Octingētos } Cæſos uice
Leuauit haſtā ſuā } { Trecentos. } una.

Hic *clarus eſt ſenſus in* Paralip, *at in* Regum *nullus omninò. Ideò loco* (*leuauit haſtam ſuam*) *poſitum eſt in* Regum (Adino Hatznib) *ſicut loco* (Iaſabeam *filius* Hachmoni) *eſt poſitum in* Regum (Ioſeb Baſebeth Thachmoni) *Iubeas igitur* Aurogallum *ſepoſitis punctis locum illum* 1. Paralip. 11. *Hu orer eth hanitho, pingere, quantum poteſt, deformibus literis & rudiſſimis, Item tranſpoſitis et truncatis ceu feſtinatis, ſi fortè*

exprimi posit aliqua similitudo istius loci 2. Reg. 23. Hu adino haezniu, Tunc haud dubiè etiam in Ioseb, Basebeth Tachmoni eadem ruditate, & deformatate literarum corruptum est illud Iasabeam filius Hachmoni. Exempli gratia.

Hastam suam leuauit Ipse.



B. A.

A. Hic si Vas transponas, post Res primum habes similè Adi, Deindè ultimum Res similè erit cum Iod in Adino præsertim literis deformatis & truncis, ut sit Res idem quod ך truncum Nun & Iod.

B. Hic Aleph potest esse Vas præcedentis Adino, si malus scriptor dictiones diuisas coniungit, ut fit ab imperitis, Deindè Thau in He mutatum & Ha in Aim, Deindè totum illud Nitho in Zeniu transpositis, coniunctis, confusis & truncatis literis, more festimantis mali scriptoris.

Nec obstat ueteres codices consentire in his uocalibus 2. Reg. 23. incognitis. Quia non est nouum, deformes & pessimas notas pingere. Et uidemus sæculum 70. interpretum fuisse ualdè illiteratum, & rude in scribendo & intelligendo, ideoq; sæpius literam pro litera, uerbum pro uerbo, Item sententiam pro sententia reddidisse.

Quod

Quod si hæc Aurogallo probabuntur, etiam alios Hebræos Cigler & Fürster consulemus, & talia in fine Bibliorum signabimus, si qua sunt & occurrent similia, pro admonendo lectore. Vale & ora pro nobis. Feria 4. post Petri & Pauli, Vinariæ.

APPENDIX M. FLA. ILLY.

Coniectura mihi probatur.

Est in manuscriptis uetustißimis Annotationibus in 1. Paralip 11. Iosbaam uel Iosbasam, facilius autem ex Iosbasam fieri posset Ioseb Baseuet, ut est 2. Sam. 23.

Hachmoni patris Iosabeam fit etiam mentio 1. Paral. 27. & eius filij Iechielis.

Est etiam obseruandum, quod, qui Iosab appellatur, aliâs etiam Iob nominetur, ut apparet in filio Isaschar, qui Gene. 46. est Iob. 1. Para. 7. uero est Iasub.

70. habent in 2. Samuel. 23. ἰεβόσθαι χαναναῖος. Quod propius accedit ad lectionem. Par: ℣ Ioseb Baseuet, Nam, præter quam quod sonus est similior, etiam pro romine proprio accipitur.

His accedit, quòd & uulgata uersio habet 1. Reg. 23. Dauid sedit in Cathedra sapientißimus, unde apparet & eius authorem potius legisse Ben Hachmani, ut est 1. Paralip. 11. quam Tahmoni, ut iam corrupta libri Regum uel Samuelis lectio habet.

2. ORATE, ne fiat fuga uestra hyeme aut sabbato Matth. 24. Hunc locum non ideò adscribo, quia sit obscurus aut explicatione egeat, Sed ut moneam, quòd

quemadmodum hoc præceptum & proximè præcedentia, Fugiant in Iudæam, Ne descendant in domum, Ne reuertatur &c: non præcepta sunt, sed amplificationes magnitudinis illorum malorum, quæ ibi prædicuntur, sic & sæpius alia pro alijs ponantur, Sicut id propria regula superius facie 65. declarauimus. Tale fermè est & illud 2. Reg. 4. & Lucæ. 10. Neminem salutaueris.

3. ἐν ἀρχῇ in principio, id est, antè omnia sæcula, indè ab æterno fuit filius. Hîc æternitas Christi indicatur. In principio, Hanc uocem opinor idem Iohanni ualere, quod Hebræis Bereßit in principio, Cuius uocis duæ potißimum significationes esse possunt. Altera significatio huius uocis ordinem quendam notat, ut Latinis Primum, post quod initium alia quoq; sequuntur, sicut Moysi in Genesi significat, qui inquit, In principio creauit &c. quasi dicat, Primum quidem creauit Deus cœlum & terrã, posteà uero illa ordinauit & ornauit.

Altera est, qua æternitas notatur, ut Prouerb. 8. accipitur cum sapientia inquit, Dominus poßedit me initio uiarum suarum, antè opera sua, à tunc, antè sæcula fundata sum, antè initium, antè primordia terræ. Vbi Salomon per omnes istas repetiones Antè opera, à tunc, antè sæcula, antè initium, antè primordia &c. illud unicum Bereßit in principio interpretari uidetur. Et sic etiam in principio 1. Iohan. ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς ἦν quod erat ab initio, Principium æternitatem notare certum est. Nullo enim modo per initium principium creatio-

nis ibi

nis ibi intelligere licet. Efficerent enim ea uerba planè impiam ſententiam. Nam filius Dei non à conditione mundi primum, ſed antè omnia ſæcula fuit.

4. Iohannis. 5. Si ego ipſe de me teſtificor, teſtimonium meum non eſt uerum. Eiuſdem 8. Etiam ſi ego de me ipſo teſtificor, uerum eſt teſtimonium meum. Pugnare hæc duo dicta uidentur, ſed non pugnant, Poſterius enim de rei ueritate, prius uerò de hominum iudicio ità de ſeipſum laudantis teſtimonio iudicantium loquitur. Significat igitur prius dictum, Si ego mihi ipſi teſtimonium præberem, iudicio hominum eſſem mendax. Sic enim ſolet uulgo ſentiri de laudante ſemetipſum, Atq; ideò locus hic in regula ſuperius de facto pro dicto ex facie poſita, citatus eſt. Ponitur enim Eſſe pro uideri, Vel eſt etiam figuratè dictum, quaſi dicat, Nihil ſanè ualeat teſtimonium, quod ego dixero de me. Poſteriore autem loco ſimpliciter affirmat Dominus uera ſe dicere, ſiuè de ſe, ſiuè de alio loquatur.

SCHOLION IN DICTVM IOhan. 10. Omnes, q̃ ante me uenerũt &c.

5. Iohan. 10. Omnes, qui ante me uenerunt, fures ſunt & latrones, id eſt, quicunq; uenerunt ſine me, neglecto & deſpecto me. Ante, Coram, & ſimiles Præpoſitiones ſæpe neq; tempus, neq; locum ſignificant, ſed tantũ hoſtile quiddã, contumax aut aduerſariũ indicant. Vt Pſalm. 51. Et peccatũ meũ negedi coram me ſemper. i. tanq; aduerſarius pugnat mecũ, & torquet meã conſcientiam. Sic Prouerb. 21. Non eſt ſapientia, nõ eſt intelligentia, non eſt conſiliũ neged Iehouah corã Domino. i. contra Dominũ. Talis eſt peni-

tus & illa contrario sensu accepta locutio Math. 16. ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, abi retro me Satana. Simili pene phrasi Aeschines contra Ctesiphontē inquit, μηδ' ἔμπροσθεν τῶν νόμων ἀλλ' ὕστερος πολιτεύου. Item Acto. 17. Isti oēs ἀπέναντι coram. i. contra decreta Cæsaris agunt. Monet Erasmus in annotationibus has duas uoculas πρὸ ἐμοῦ non extare in uetusta uersione, ac sane uerum est plæraq; eius exemplaria non habere. Vidi tamen ego unum circiter ante 200. annos eleganter scriptum, in quo legebantur.

6. Iohan. 13. ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, Mandatum nouum, id est, aliud, do uobis. Prius enim in hoc eodem capite & cōtione aliud mandatū dederat de fugienda ambitione, sectanda humilitate & mutua concordia. Significare autem Nouū Hebræis idem, quod aliud, potest exemplis probari, ut Exod. 1. Surrexit rex nouus super Aegiptios, qui non nouerat Ioseph. Septuaginta uerterunt ἕτερος. Item Esa. 62. Appellaberis nomine nouo, quod os Dñi nominabit, pro qua locutione capite. 65. in simili materia dicit. Et seruos suos uocabit nomine alio. Sic etiam Marci ultimo legitur. Linguis loquētur nouis. Neq; enim Apostoli & alij prj nouas linguas excogitauerunt, sed alijs linguis, præter eas, quas antea norant, locuti sunt.

In dictum ex fide in fidem, Roma. 1.

7. Ex alio in aliud progredi incrementū significare uidetur, ut Psal. 84. De uictoria in uictoriam ibunt. i. subinde fortiores erunt maiores q; uictorias consequentur. Ierem. 9. De malicia in maliciam exiuerunt. i. subinde peiores facti sunt. Roma. 1. Iustitia enim Dei per Euangelium reuelatur ex fide in fidem, i. ex imbecilliori fide

fide in robustiorē. 2.Cor.3. Transformamur ex gloria in gloriā.i.ex minore gloria in maiorem, subinde fimus glorioſiores.

IN cap.2.Rom.

8. Plærique interpretes putant reprehenſionem Iudęorū inchoari primum circa mediū ſecundi capitis, Qui in lege peccauerūt &c. Sed quod caput ſecundum inde a principio cōtineat reprehenſionē Iudæorū & plane ſeiunctū ſit a 1.capite, in quo eſt reprehenſio Ethnicorum, ſic probari poteſt.

Primum, incipit tractare Apoſtolus in hoc capite de Hypocritis qbuſdā, qui, etſi foris fortaſſe qualemcunq; diſciplinā ſeruabant, intus tamen pleni erant ſceleribus, & interim de hac qualicunq; diſciplina ſibi eximie placebant, alios uero omnes talē diſciplinā non habentes iudicabāt ſeu cōdemnabant tanquā prorſus impios, Certum eſt autem Iudæos fuiſſe illos ueros Hypocritas, qui nō putabant ſe eſſe peccatores, ſicut cæteri erant, ſed omnes alios præ ſua ſanctitate, ſicut Phariſæus ille Publicanū, contemnebant & condemnabant.

Secundo, Nullus Ethnicus Philoſophus fuit tam ſanctus, quin & idolatra fuerit, & uariis libidinibus cōtaminatus, de quibus peccatis dixit 1.capite. Igitur omnes Ethnici eo pertinent, etiam ſanctiſſimi.

Tertio, Affirmauit illos, de quibus præcedente capite diſputauit, non ſolū patrare illa facinora, de quibus dixit, ſed etiā alios ea patrantes laudare, cuiuſmodi publica ſcelerum licentia publice apud Ethnicos inualuerat. In hoc uero capite dicit eos, quos accuſat, condemnare omnes alios talia perpetrantes, quod eſt præcedētibus plane cōtrariū, et tales erāt plane Iudęi.

Quarto, Quia obiectiōis occupatio, Non

enim auditores &c. non potest nisi ad Iudæos referri. Sed hæc occupatio seu solutio obiectionis præcedentibus cohæret, Igitur & præcedētia ad Iudæos tantū referenda sunt.

Postremo, Quia totū caput est una Apostropha. Postquā enim Ethnicos tanquā absentes, ac ueluti extra populū Dei existētes, in tertia persona accusauit, cōuertit se iam ad suos Iudæos tanquā prope stantes, utpote eiusdem sanguinis & religionis homines, eosq; in secunda persona per Apostropham obiurgat. Sicut ergo incepit initio capitis astantē quendā ἄνθρωπον, bonū uirū laudare, ita post mediū capitis eundē illum probū homuncionē clarius nominat, eūq; suis coloribꝫ depingere pergit, quasi dicat. Heus tu bone uir, te inquam appello Iudæe, qui meus uelut familiaris es, putas ne te innocentem? &c. Estq; posterior illa pars huius capitis, Ecce tu Iudæe, nihil ferme aliud, nisi clarior quædam & magis urgens accusatū Iudæum præcedentiū repetitio, magna ex parte cū priori parte sentētijs cōueniens. Ex hac ipsa igitur Symphonia totius capitis apparet inde ab initio eandem rem agi.

Quare cōiunctio Διό ad principalē prædicationis pœnitentiæ propositionē, Reuelatur ira Dei de cœlo &c. copulanda est, quasi dicat, Cū reueletur ira Dei de cœlo, nō solum manifestis sceleribus & idolatrijs obnoxij, ut sunt Ethnici, cōdemnabuntur, sed & uos Hypocritæ Iudæi eritis inexcusabiles, qui cū alios oēs iudicetis & cōdēnetis, tamē estis sepulchra dealbata.

Post hanc sententiā sequitur statim occupatio obiectiōis. Poterat enim obijcere Iudæus ego recte iudico seu damno Ethnicum ex uerbo Dei, imo uero Deus sic eum iudicat. Respondet Paulus, bene scio iuste Deum iudicare peccata

Ethni-

Ethnicorū, nec hoc in te reprehēdo, quod Dei sententiā cōtra Ethnicos recites, sed illud dico, putas ne quæso tu bone uir, quod idem ille iustus iudex tui cordis malitiā ñsdem peccatis inquinati impunitam relinquet? Agnosce & tu tua peccata, nec Dei clementiam tenta.

9. Omnes enim peccauerunt & destituūtur gloria Dei, Rom. 3. Referri hæc sequētia possunt ad regulā superius facie. 5. positā, Secūdum eam regulam, Heil robur, Virtus ponitur pro rebus omnibus robustis, pro exercitu, pro mœnibus urbis, pro opibus, pro uiris fortibus 1. Samu. 10. Itē, Gloria ponitur pro opibus, pro lingua Psal: 108. 58. 30. 16. pro uera religione. Ierem. 2. Populus meus cōmutauit gloriā suā. Item pro glorioso beneficio Christi. 2. Cor. 4. Ne luceat eis lux Euangelij gloriæ Christi. 1. Euangelij differentis de glorioso beneficio Christi, seu iustitia Christi. Ibidem, Qui luxit in cordibus nostris ad illustrationē cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. i. ad illustrandā cognitionē beneficij, seu iustitiæ Dei, quę per Christū reuelatur et datur Ro. 3. Omnes. n. peccauerūt & destituūtur gloria Dei. i. glorioſa iustitia, quæ corā Deo ualet.

10. Ex disputatione Pauli de reiectiōe Iudęorū, quæ est 9. 10. & 11. Ro. duriores quidā multa aspera parumq; pia, imo etiā uehementer destruentia cōcludunt. Nam ex illa duriore sentētia de prædestinatiōe plærūq; securi suā securitatē cōfirmant & desperabundi altius in desperationē immergūtur. Docuit me id propria experientia integri triennij, quo tēpore cū grauissima tentatiōe, ac (ut clarius dicā) ipsa æternæ salutis desperatiōe cōflictatus sum, Eandem experientiā, & aliorū multorū esse comperi. Vnde factus sum stoicæ isti sentētiæ nō parū inquisitor.

Multa autē sunt ibi in Paulo, quæ recte

perpensa sentẽtia illã non parum lenire possent. Primũ occasio disputatiõis Pauli. Agitabatur enim tũc tẽporis uehemẽter quæstio, An sit possibile, ut Deus Iudæos semen Abrahæ, etiamsi Christũ nõ accipiãt, reiiciat, & maledictos gentiles (ut eos Iudæi appellant) in Christũ credentes in populũ adscifcat, Sicut iam disputatur, an sit credibile, quod Deus Papã & eius spirituales persequẽtes Euangelium reiiciat, & alios eo inuito purã Christi religionẽ amplectentes pro sua Ecclesia agnoscat. Quare disputat Paulus, Deũ non esse magis alligatũ ad oleã quã ad oleastrũ, posse eũ etiã ex lapidib⁹ Abrahamo filios excitare, bñfacere et malefacere, cuiuult, subaudi oleastro credẽti, & oleæ nõ credenti, et cõtra.

Deinde, uerba, Iacob dilexi, Esau uero odio habui, nõ pprie significãt ex animo odisse, hostẽ ei esse, sed alioqui in externis quibusdã cõmodis eũ negligere, ut hoc clarius superius in regula quadam, facie 47 probaui.

Tertio uerbũ Indurare significat hic & in Exodo magis permissionẽ, quã efficacẽ actionẽ, ut superius facie 12. & 16. ostendi. Idem demonstrãt & sequentia paulo post uerba, Magna patientia tulit, quasi diceret P. Non quidẽ tales homines existere cupiuit, sed tamẽ patienter, ut tales fierent, & aliquandiu uiuerent, tulit.

Quarto dictũ, Non est uolẽtis, neq; currentis, non hoc significat, q̃d nihil prosit uel obsit, siue uelis, siue nolis pius esse, siue curras, siue non, Sed tantũ affirmat, quod nõ per merita nostrorũ operũ seruemur, sed per gratiam Christi, cõtra Iudeorũ puersam opinionẽ, q̃ iustitiã legis sectabãtur, cõtẽpto gratuito Christi bñficio.

Quinto in similitudine, An nõ habet figulus potestatẽ &c. nõ id agit Paulus, ut affirmet Deũ temere uel credentes perdere, uel non credentes

credentes seruare, sed malitiã & superbiã humani cordis importunius responsantẽ primo durius retundit, postea uero tandẽ uerã refectiõis causam cõmonstrat. Postremo ipsemet Paulus sub finẽ 9. ca. toto 10. & 11. propriã causã reiectionis Iudæorũ exponit, nẽpe q̃ noluerint accipere Christũ, sed neglecta fidei iustitia legalem iustitiam quæsierint, atq; ita in petram scandali impingentes confracti sint.

11. In dictũ, Ne dicas quis ascendet in cœlum &c. Ro. 10. Magis uerbis quã sensu obscurus est iste locꝰ. Obscurꝰ aũt ideo est, qa alludit ad uerba Mosis Deu. 30. Sensus aũt loci est iustitiã Mosi, seu legis nulli posse cõtingere, quia reqrat impletionẽ legis, sed iustitiã Christi posse cõtingere, qa reqrat tantũ fidẽ, sentẽtia ergo est, Ea uero quę ex fide est iustitia, sic dicit, Nondixeris in corde tuo, qs ascẽdet in cœlũ, scilicet, ut Christũ deducat. i. ne dubites, quin Christꝰ uenerit, accipe istũ, q iam uenit, Meschiã, Aut qs descẽdet in infernũ, scilicet, ut Christũ inde reducat. i. ne dubita eũ resurrexisse. Sed quid dicit, prope est tibi uerbũ in ore tuo & corde tuo. i. res possibilis est, & ad manus iustitiæ Euangelij.

Repetit idẽ suis uerbis affirmatiue, quod superius Moysi uerbis dixit negatiue, sicut moris est Hebræis eundẽ sensum affirmatiue & negatiue repetere, ut superius 98. facie indicaui, Inquit ergo, Hoc est uerbũ fidei, quod tibi prædicamus (subintellige, sic dicit) Quod si ore tuo cõfessus fueris Dñm Iesum. i. si agnoueris istum hominẽ Iesum esse tuũ Dñm & ꝓmissum Meschiã, si eũ pro Meschia acceperis. Sequit, Et crediderit corde tuo, quod Deus eum excitauit ex mortuis, seruaberis. i. si crediderit istũ Iesum, q a Iudæis (ut scis) crucifixus est, esse gloriose a Deo resuscitatũ et iam sedentẽ a dextris eiꝰ regnare, seruaberis.

Prorsus

Prorſus ergo idē eodēq; ordine ſuis uerbis affirmatiue repetit, q̄ prius Moyſi uerbis negatiue dixerat. Quod ut clarius cernatur, oportet nos monere, q̄ locutio, Quis dabit, Quis faciet, & ſimiles optantis affectū cōtineant, perinde ac ſi diceres, utinā aliquis daret, utinā aliq̄s faceret &c. ut & iſta uerba, Quis aſcendet, ſint Iudæorū optantiū aduentū Meſchiæ, ac cogitātium, Ah utinā tandem aliquis nobis Meſchiam adduceret, Alij uero forte ſic cogitarūt, fortaſsis fuit uere iſte Ieſus Meſchias, ſed utinā poſtquā cū noſtri ſcelerate crucifixerūt, uere illum Deus excitaſſet, id uereor ne nondū factū ſit. Idem ergo prorſus eſt, Quis aſcendet, i. ne opta & expecta Meſchiæ aduentū, ne dubita, quin Meſchias uenerit, q̄ prius Moyſi uerbis negatiue dixit, & quod poſtea ſuis uerbis affirmatiue repetijt, ſed confitere Ieſum eſſe tuū Dūm, accipe eū pro Meſchia, & iterū, Quis deſcēdet etc. i. ne opta, ne dubita Chriſtum reſurrexiſſe &c. ſed crede quod Deus Ieſum ex morte excitauit.

Cæterum illud totam obſcuritatē ſecum affert, quod prius uerbis Moyſi uolens ad locū Deuteronomij alludere, ſuam ſententiā expreſſit, quod minus apte clareq; fieri potuit.

In eo aūt ſimilitudo quædā eſt loci Deut. & huius, quod ſicut Moyſes ibi uoluit monere Iſrahelitas, eos habere iam legē Dei in manibus, ſic quoq; Paulus uult ſuos auditores monere eos habere ueram iuſtitiam in promptu, ſi tantum Chriſtū amplectantur. Et ſi. ut tunc temporis Iſrahelitæ audientes legem Dei uehementer laudari, & a ſe minis ac promiſsis eſt lagitari, potuiſſent cogitare & dicere, Vtinam aliq̄s modo alicunde afferret iſtam legē, o quam libenter eā præſtaremus, ſic tempore Pauli multi Iudæi expectabant & optabant (ut & hodierna die) aduentum

uentum Meſchiæ, Alij uero dubitabãt de reſurrectiõe Ieſu. Quare ſicut Moyſes dicit ſuis, Non eſt quod uos excuſetis, aut cupiatis uobis legem, ac uoluntatẽ Dei patefieri? en habetis iam eã in manibus, corde et ore ueſtro, Sic Paulus dicit ad ſuos incredulos Iudæos, de aduentu Meſchię ſollicitos, de reſurrectiõe Ieſu dubitantes, & magno ſudore iuſtitiã operum quærentes, Quid eſt, quod tantopere in acquirenda legali iuſtitia laboretis? Credite tantum in hunc Ieſum, quem prædico, & ſalui eritis.

10. In locum Si inimicus tuus eſuriuerit, ciba eũ, ſi ſitiuerit, pota eũ, Hoc enim faciens carbones ignis congeres in caput eius, Tibi autẽ Dñs rependet Rom. 12. Prouerb. 23. Hunc locũ plærique ita exponunt, ut dicant per carbones ignis ſignificari fore, ut, hoſti benefaciendo cõſcientiam moueas, eumq; conuertas. Verum uerba ipſa indicãt ſignificari adhibebis rem uehementer lædentẽ prę cipue ac piculoſiſsime ei⁹ parti, Pſa. 140. Carbones ſup eos cadẽt, igni facies eos cadere. In eodẽ ſenſu & Pſa. 16. carbones accipiuntur.

Quare opinor hũc eſſe ſenſum, Non eſt q̃ admodũ ſollicite cogites, quomodo inimico tuo uiciſsim malefacias, crede. n. mihi, te nõ poſſe ei ullo modo plus obeſſe, quam ſi tu pergas certare bñficijs cũ eius iniurijs, Ac quanq̃ tu non debes eo animo bñfacere, ut ipſi male ſit: Tamẽ reuera ita fiet, ut ira Dei eo grauior hoſtem tuũ tam perditæ malitię hoiem obruat, quanto tu magis bñfactis cũ ei⁹ iniurijs certaueris. Tibi uero tua bñfacta, q̃ bus ille grat⁹ eſſe noluit, Deus repẽdet. Quod aũt is loci ſenſus ſit, etiã ex eo apparet, q̃ prius Paulus dixit, Date locũ diuinæ iræ. Dei. n. eſt uindicta, ipſe repẽdet. Nã dicto Salom: indicat, quomodo debeas dare locum iræ Dei, ut ipſe tuũ inimicũ puniat, nẽpe nõ ſolũ nõ lædẽdo inimicũ, ſed etiã bene ei faciendo.

Variæ

INDEX.

Variæ Regulæ de Hebraismis in constructione Nominis. 1.

Aliquot regulæ de Relatiuis. 8.

De Verbis, quæ per suum infinitiuũ, & soleo, Possum, Debeo uel Permitto exponenda sunt. 12.

Conciliatio duorũ Pauli locorũ 1. Corin. 10. Ego per omnia omnibus placeo, & Gal. 1. Si hominibus placerem Christi seruus non essem. 15.

De uerbis habitũ magis quam actionẽ aut passionẽ significantibus. 17.

Hebraismi de uerbis alteri uerbo instar aduerbiorum coniunctis. Ibidem.

De uocibus ab homine ad Deum translatis. 18.

Quod Hebræi sæpe magis de rebus secundũ cõmunem opinionẽ q̃ secundũ rei ueritatem loquantur. 19.

Quod dictiones reales pro uerbalibus ponantur. 22.

Vtilis admonitio, quod Hebræi factũ pro dicto ponant. 23.

Hebraismus præcedenti cõtrarius. 25.

Quod uniuersalis sæpe apud Hebræos nonnihil restringenda sit. Ibidem.

Quod uerba Hebræa nonnunq̃ in maiori quadam emphasi, quam cõmuniter significant, accipienda sint. 27.

Quod sæpe nimis absolute, & incircũscripte aliqua in exhortationibus dicantur. 28.

Quod de rei idęa ac impossibili perfectione sæpe sic Hebræi loquantur, tanquam de re possibili. 30.

De uelamine Moysi. Ibidem.

De amplificationibus ab inusitatis rebus sumptis. 31.

Quod

Quod ſcriptores noui Teſtamenti exprimentes uoces Hebræas multas ſignificatiões habentes maxime obuiam ſignificationē earū, pro aliis ponant. 32.
De Enallage perſonarum. 33.
De Pleonaſmo. Ibidem.
Admonitio quod diuerſorū ſubiectorū nō ſit neceſſe ſemper eſſe diuerſa prędicata. Ibid.
Quomodo Hebræi comparatiuum & ſuperlatiuum circumſcribant. 34.
De Metaphoris aliquot regulæ. 35.
De Similitudinibus. 37. & 103.
De Interrogatione & Reſponſione. 38. & 102.
De Datiuo. 40.
De Catachreſi nominū cognatiōis. 41.
De Synechdoche. Ibidem.
Quod uerba cognitionis non tantū cognitionem, ſed & eius effectus ſignificent, Ibidem & aliis foliis ſequentibus.
Quod Ira pro pœna ponatur. 47.
Quod Odi & Diligo ſæpe non tàm affectū quam actiones affectum ſequi ſolitas ſignificent. Ibidem.
De uerbo Inuenire. 48.
Quod effectus ſæpe p̄ cauſa ponat. 49.
De Synecdochicis pœnitentiæ deſcriptionibus, in quo tractatu plures regulę continentur. 50.
Quod nomina generalia & ſpecialia in ſingulari numero pluraliter accipiantur & contra. 59.
Nomina generalia pluralis numeri, ſæpe pro indiuiduis ponuntur. 60.
Paterfamilias ponitur pro re familiari & poſteris. 61.
Quod nomina & uerba latiora pro anguſtioribus

ſtioribus uel generaliora, pro ſpecialioribus po-
nantur & contra. Facie 61. & 62.
Quod effectus tribuantur minus propriis
cauſis. Facie 63.
Quod accidens ualde proprium pro reipſa
ponatur. Facie 63.
De Enallage partium & modorū. Ibidem.
De confuſione uocum in ſermone. Fa. 64.
De mutatione prædicati in ſubiectum &
contra. Facie 65.
Sæpe coniuncta pro rebus ipſis, quibus an-
nexa ſunt, ponuntur. Ibidem.
Quod ſcriptura habeat uiua uerba. Fa. 66.
De nimia breuitate ſubintellectis uerbis
explenda. Ibidem.
Quod uerba tertiæ perſonæ, nonnunq̄ no-
minatiuo careant. Ibidem.
De uarijs Prophetiarum formis. Fa. 67.
De Hebraicis repetitionibus integer tracta-
tulus. Facie 69. & ſequentib.
De congerie uerborum. Facie 79.
Variæ regulæ de ordine ſententiarum Pau-
li & aliorū. Fa. 79. & aliquot ſequentib. folijs.
De negatione & alijs particulis ſemel poſi-
tis, & ſæpe repetendis. Facie 104.
De Ieiunio eiuſq̄ phraſibus, prolixa diſpu-
tatio. Facie 105. & aliquot ſequentib. folijs.
De nomine Iehouah. Facie 135.
Quod ſacra ſcriptura integre non tantū cō-
ſonātibus, ſed & uocalibus, inde ab initio ſcrip-
ta fuerit declamatiuncula. Facie 142.
Scholia in aliquot obſcura loca. Facie 161.
& aliquot ſequentibus folijs.

Anno 1551. Calend: Iunij.

**Impreſſum Magdeburgi per Michae-
lem Lottherum.**